


VE RI
TAS

AESCHYLEARUM QUAESTIONUM

SPECIMEN PRIMUM.

ACCESSIT

PROMETHEUS VINCTUS

CUM

VARIETATE LECTIONIS POTIORE ET SCHOLIIS INTEGRIS.

AUCTORE


C. G. HAUPT

LUCCAVIENSI.

BEROLINI,

SUMTIBUS DÜMMLERI.

MDCCCXXVI.


HA
UNIV RSITY
LIBRARY

H. NOLTIO,

REVERENDISSIMO SENATUS, QUI RES SACRAS ET SCHOLASTICAS IN PROVINCIA BRANDENBURGICA CURAT, CONSILIARIO, EQUITI, CET.

HUNC LIBRUM

D. D. D.

AUCTOR.

AEQUO LECTORI
S.

Timidus ac sollicitus si quis unquam in lucem emisit librum, is profecto ego sum. Nam non nescio in Aeschyli tragoediis interpretandis et restituendis elaborantem me suscepisse laborem perdifficilem, quamvis dignissimum, in quo omnes nervos aetatis industriaeque contenderem. Actum quidem agerem, si Aeschyleorum dramatum praestantiam communi antiquorum et recentium judicum consensu collaudatam hic vellem laudibus extollere; verum difficultates et obscuritates, quibus legentes impedimur, ita demonstrare, ut qua tolli posse mihi videantur, ratio appareat, a praefationis consilio haud alienum est. Etenim antiquissimis testimoniis constat, Aeschyleam cogitandi rationem et sublimiorem fuisse et fortiorem, quam quae soleat esse humana. Hoc asserunt Aristophanes, Dionysius Halic., Longinus, Quintilianus aliique, quorum verba Schwenkius attulit Praefat. Choëphor. Igitur ut summopere studendum est, orationis Aeschyleae excelsitatem ut mente assequamur, ita, quod dixit, cavendum, ne ad nostram dicendi normam revocemus.

*

Minus vero intellectum videtur, ex ipsius artis tragicae rationibus ac legibus, quas auctor sequebatur, exorta esse perspicuitati dramatum impedimenta: aliter enim novae artis opera intelliguntur, aliter excultae et perfectae. Et tragica poesis ex dithyrambico genere profecta ab Aeschylo et primum formata et religionis argumentis est consecrata: cujus rei explicatio, si per antiquorum indiciorum et paucitatem et differentiam certior tutiorque esse posset, prae ceteris larga luce Aeschyleam poesin conspergeret. Deinde alia est eorum locorum obscuritas, quibus civitatis res rationesque, parum eae quidem nobis cognitae, attinguntur et commemorantur. Cujusmodi locis eruendis et explicandis cum eam adhibeant operam, ut, ne omnia ad civitatem referantur, jam cautio sit: mirari utique subit, quam raram in tragicorum lectione et explicatione graecae theologiae et philosophiae, qualis tunc temporis fuerit, rationem habeant. Ea vero res gravissima est; verumtamen, cum non modo alius poeta alia dogmata, sed idem adeo alibi alia profiteri videatur, etiam difficillima. Et Aeschyli in hac re singularem et admirandum animum veteres satis indicaverunt, poetam et summum philosophum, et Pythagoreum et mysticum dicentes: quorum indiciorum quanta vis sit ac sententia cum aliis ex dramatibus cognoscatur, tum ex Prometheo elucet; de quo veteres mira narrant, et J. Muellerus egregie judicat; „venerandum enimvero, inquit, documentum est, quibus res humanas oculis Marathonius bellator in illa augusta antiquitate perspexerit." Alterum vero difficultatum genus in textus, qualem superstitem habemus, ratione et conditione positum est. Mittam illud, quod et ipse Aeschylus tra-

ditur nonnulla dramata refinxisse, et οἱ περὶ Αἰσχύλον: quod a Boeckhio, V. Cl., jam illustratum novo exemplo confirmare conatus sum. Sed veteribus Aeschylea opera adeo publica cura dignatis mirum praecipue hoc me habet, quod primis jam post Aeschylum temporibus tragoediae ejus interpolatae, depravatae sinistreque illustratae exstabant. Hoc enim conquerentes Scholiastae et locos quosdam indicare, et cum fabularum corruptoribus injuriam eam expugnare solent. Qua re exemplis infra demonstrata efficitur, in locis corruptis saepius fere cogitandum esse de interpolationibus, quam de defectibus. Corruptelis vero iisdem cum ex aequo omnia, quae habemus, exemplaria laborent; et haec fluxisse ex uno fonte, neque eo quidem integro, Mediceo fortasse codice, apparet, et interpretis officium difficultatibus augetur. Accedit, quod editiones principes Aeschyli quam aliorum scriptorum fide longe incertiore sunt. Aldina enim, quam Asullanus curavit, innumeris scatet vitiis: ad quam expressum Turnebi et Robortelli exemplum non minus dubiae est auctoritatis. Quae cum ita sint, ea demum opera aliquid profici videtur, si quos Aeschyli locos antiqui scriptores habent, etiam latine versos, colliguntur, examinantur, comparantur; tum si Scholiorum subsidiis, quae maxima esse cognovi, diligentius utimur. Sed sicubi deficiunt, cum vitiorum in MStis plurimorum ea origo constituenda videatur, quod verba prave ex dictantis ore excepta et exarata sunt, eorum magis sonus quam scriptura consulendus, atque audaciori conjecturae venia danda est. In melicis felicius sane iis succedet opera, qui metricas Aeschyli leges satius cognitas et exploratas habent. Mihi vero, cui primo hoc

specimine tantummodo indicare nonnulla, quibus Promethei adjuvari posset recensio et interpretatio, propositum erat, in magnis rebus et voluisse satis esse, et ne minimum quidem contemnendum videbatur.

His paucis commemorasse sufficit tum interpretationis meae, tum critices rationes. Quas cum aequis lectoribus probare cuperem, textum Promethei V. et Scholia, potiore lectionum varietate subnotata, adjunxi; adjunxisse vero quin jam poeniteat, haud multum abesse confiteor, quoniam finito demum labore vires meae quam essent exiguae, tantoque operi impares, intellexi, cum poetae verba ad priorem fabulae editionem, Scholiastarum autem ad Robortelliani exemplaris fidem viderentur exigenda esse. — Scr. Regiom. M. Cal. Jan. MDCCCXXV. —

Jam vero ad ea pergo, quae lectoribus, priusquam ad singulas res accedant cognoscendas, mihi post librum typis exscriptum videntur praecipienda. Namque omnibus in rei alicujus exploratione pergentibus necessario accidit, ut integrum post annum multa habeant cognita, antea quae ignorabant. Ita nunc demum comperi, etiam Philostratum testari, mysteriis cum parentationibus aliquam intercessisse necessitatem. Narrat enim (Heroic. p. 739.), mysticis ceremoniis non modo Thessalos in Achillis parentationibus usos esse, sed etiam Lemnios et in Peloponneso Sisyphidas. Cf. quae dixi in Seebod. Arch. II. 2., h. l. p. 10; et Welcker. Prometh. p. 256. Deinde video, a Thierschio similiter de voce *κῶμος* disputari, adversari vero Passowium. Sententiam quidem non muto; sed ambigo de *ἱκάνω* s. *ἵκωμαι* huc pertinente, quamquam breve illud *ι* ab initio verbi in vocibus derivatis eodem modo potuit abjici, quam *ο* ante *δύρομαι*, *ε* ante *ῥύομαι*.

Nec desunt exempla litterae ε absumtae: ut *Γνής* pro *Ἴγνης*, *γνώσομαι* a *γιγνώσκω*. Favent etiam lexicographi graeci, qui ad vocem *κώμη* et *κωμήτης* de appropinquatione et vicinitate loquuntur. Difficilius hebraicum קום huc refertur: cf. p. 12. h. l. Tum p. 70, lin. 16. scribendum est: „Sophoclem Philocteta suo potius Aeschyleum (exemplar) expressisse." — Nam Schol. Pind. Pyth. v. 35. videtur Sophoclis nomen cum Aeschyleo permutatum esse. — P. 109, l. 7. totus versus hic est: *λίνα δὲ, πίσσα, καὶ ὠμολίνου μακροὶ τόνοι.* — P. 110, l. 20. Supplices et Danaides diversae sunt tragoediae ex sententia multorum, v. Welcker. Prometh. p. 390. — P. 139. l. 24/25 Aldinae lectio est: *μεγαμῳ δ' ἁπτομεναν*· deinde in hac et in sequente pagina *γάμῳ* rescribendum, quod quater cum circumflexo scriptum noli meae culpae tribuere. — Postremo de tragoedia ex veteribus religionibus profecta ne parum circumspecte Cap. I. disputasse videar, sacrorum religionis catholicae dramatum mentionem injicio. Ea qui credit graecae tragoediae esse reliquias, facile errat, quia christiani profanis ab graecorum ceremoniis magis abhorruerunt, quam ejusmodi ut quidquam reciperent. Exorta vero sunt eodem quo graecae tragoediae modo ex pristinis religionis ritibus et ceremoniis. Quae cum dramaticae essent indolis, eo perfectionis progressa sunt, ferme ut graecarum tragoediarum praestantiam adaequarent, maxime in Italia, ut Moses in Aegypto, *ἐξαγωγή* Hesek., *Χριστὸς πάσχων* cet. Ceremoniarum vero dramaticarum quae a primis inde christianorum sacrorum initiis exstiterunt, a principioque arcanae erant, item perfectiorum illorum dramatum historiam qui perlustravit, ex iis excultam no-

strae aetatis artem dramaticam provenisse haud neget. Qua de re v. librum elegantissimum: Vestiges of ancient manners and custims discoverables in moderne Italy and Sicily, by John James Blunt, Lond. 1823. Quodsi ex interioribus maxime sacris apud Graecos artem scenicam et dramaticam prodiisse statuo, hoc de primis ejus initiis intelligi volo. Etenim consentaneum est, politiorem numinis cultum prius sacerdotales inter parietes quam in publicis plateis institutum fuisse. Sacra vero illa populorum antiquorum arcana si quae de iis accepimus, uno obtutu contemplamur, triplicia fuisse intelligimus, prout diversa rerum semina veteres philosophi statuerunt esse aut ignem, aut aquam aut terram, quorum Onomacritus conjunctione dixit omnia orta esse. Oportebat vero, sicut Aegyptii, qui Nili exundationibus terram suam foecundari videbant, humiditatem fertilitatis genetricem putabant, ita Caucasi, Siciliae, Lemni omniumque terrarum, quae aut ignibus Vulcaneis conquassari solebant, aut metallorum cudendorum copiam faciebant, incolas praecipue ignem divino cultu dignari, ceterosque populos, qui neque ignis neque aquae gaudebant beneficiis admirabilioribus, inprimis terrae divinitatem reverentia persequi. Hinc factum est, ut in Aegypto Bacchus sive Osiris — *αἰτία πάσης γενέσεως, κύριος τῆς ὑγρᾶς φύσεως* cet. Plut. Is. et Osir. —, in Lemno et Sicilia Cabiri, et in Graecia Ceres cum filia prae omnibus summo eoque arcano cultu celebrarentur. Continuis populorum migrationibus vero diversa haec sacra in omnes terras translata et inter sese commixta sunt. Ad ignis quidem numina etiam Prometheus pertinet, qui et inter Cabiros Paus. IX. 25, 6., et Vulcano antiquior fictus,

Schol. Soph. Oed. Col. 54, reperitur, ab Aeschylo autem ubique vetus deus appellatur, quamquam Aeschyli aetate Athenis pro recente numine vel peregrino daemone a plerisque habitus, exiguoque cultu ornatus est: qua de re ipse vehementer queritur ap. Lucianum. Contemnebantur enim ejusmodi numina prae ceteris diis, profecto, si Aeschylum, Aristophanem et philosophos audis, vilioribus. Item Io Athenis peregrina fuit et contemta, quae ipsa in patria sua Argiva cultu ampliore paulatim privata est, postquam Phoronei, cujus pater Inachus ejus religionem condiderat, h. e. novorum, qui postea adventarunt, civium studio Iunonis veneratio incrementa ceperat. Formam vero cornutam prima jam aetate (v. Steph. Byz. Ἀβαντὶς, Apollod. II, 1, 3.), et antequam Graeci Aegyptiam Isidem cognovissent, pro suaque Io accepissent, ab priscis hominibus ferinas diis formas adtribuentibus, ejusque forma ac specie lunam, quam Aegyptii et Argivi antiquitus Ἰώ nominarunt, significantibus accepisse potest. Cornutas enim numinum formas cum inprimis apud Asiaticos primae aetatis populos multas reperiri constet, tum taurina Solis s. numinis supremi prisca species lunarem vaccam necessitate quadam videtur attigisse. Neque omnino aberrasse a vero O. Muellerus putandus est, in βοῶπι Argivorum Iunone apud Homerum Ius antiquioris vestigia deprehendi ratus; quin etiam quae de Iunone Iolci Od. XII. 72, atque de Mercurio Ἀργειφόντῃ sunt apud Homerum, ex Ius religione repetere licet. Lunam vero et ipsa Iunone significatam esse, priusquam poetica deorum civitas condita sit, tum cultu ejus Samio proditur, cf. Spanheim ad Callim. hymn. in Dian. 204, tum ex Plut. Q. R. c. 76, et Ca-

tull. XXXIV, 13 sq. emergit. Sed fabulis mirum in modum accrevit Ius historia post Aegyptum Graeciae reclusam et commercium Graecorum amplificatum; atque quocunque populi navigantes, maxime Argivi, Ius vel Isidis notionem adtulerant, aut ubicunque hujus religionis aliqua vestigia deprehensa sunt, eo furore delata Io putabatur: qua opinione etiam Bacchus, Hercules aliique dii s. heroes orbem terrarum dicebantur emensi esse. Ius autem vagam migrationem primus Aeschylus videtur copiose descripsisse, certoque cum consilio, quo intellecto faciliorem is locus explicatum habet, fortasse hoc, ut indicaret, quam late per Europam, Asiam, Africam dispersa deprehenderentur hujus religionis vestigia. Atque quemadmodum certo scimus, verbi causa Tarsum et Byzantium vicinosque in fines ab Argivis accolis eam allatam esse, Welcker. Prom. p. 132. Mueller. Prolegom. Mythol. p. 133., ita, quomodo et quando in ceteras terras propagata sit, si plura de priore antiquitate suppeterent monumenta historica, constaret. Perpetuis bellis enim populorumque migrationibus hujus religionis vestigia plurimis locis deleta sunt: id quod pariter aliorum numinum prisco cultui accidisse jam ex Homero cognosci potest, ut Il. 2, 563. ad quem locum Heynius recte demonstrat, Dorum immigratione antiquas religiones turbatas esse, et Iunonis majorem Spartae religionem fuisse Achivorum tempore. Cujus generis alia multa quae mutata sunt, v. Cap. X. h. l. Pleraque autem eo recurrunt, quod religiones priscorum quorundam seu physicorum, ut ita dicam, deorum quorum mentio fit apud Homerum in jurantium et detestantium formulis, et apud alios scriptores alibi, nullam

in civitate vim habebant, quod injuste ita fieri et aliis et Aeschylo videbatur, qui alienarum planeque novarum religionum pestem jam in civitatem irruere summa viderent cum indignatione. Quidquid accuratiore de physicorum illorum deorum natura, cultu, aetate effeceris quaestione, Plato, Aristoteles, Plutarchus, et Cicero asserunt, et apud prioris antiquitatis populos et apud Graeciae philosophos aliquo cultu gavisos esse: modo ne incommodo Titanum nomine eos appelles. Hujus enim nominis ambiguitate Muellerus fortasse inductus (Proleg. Mythol. p. 373.) contendit, tum omnia ejus religionis vestigia prorsus desiderari, tum ex civili demum verorum deorum cultu ea exstitisse numina, tum allegorica eorum significatione convinci, Olympiis diis esse juniora. De priore quidem argumento hujus viri praeclarissimi, quo, quantum scio, nemo apertius illis numinibus antiquioribus bellum parat, vide Cap. X. h. l. Alteri argumento autem, quod Themidis e Jovis Apollinisque cultu Delphico fortasse exortae nititur exemplo, opponam illud, quod ex prisco et titanico Solis numine videntur tempore seriore exstitisse, quatenus Solem affini significatione attingunt, Apollo et Hercules (Orph. Hymn. XI. in Herc.); ex Lunae pristina religione Diana et Hècate (Hesiod. Theog. 421 — 25. Orph. Hymn. XXXV, 2.), Asteria, Latona, Phoebe (Hes. Theog. 404—9. Aesch. Eumen. 5. Acusil. Fragm. XIII. p. 232. Sturz. Virg. Aen. IV, 715.); ex Ignis, quo apud Asiaticos populos et Iapetidas imprimis usus est, cultu, Vulcanus, Minerva, Cabiri: et sic porro. Eas vero Deorum varias multiplicesque formas, quae apud diversos antiquitatis populos ex paucis simplicibusque divinae naturae

numinibus paulatim exortae erant, Graeci promiscue recipiebant, cultuque praeter eum, quo illa polluerunt, longe ampliore mox dignabantur: quam rem veteres poetae et theologi titanomachia similibusque fabulis declararunt. Quod denique argumentum tertium vir egregius attulit, id quale sit, non intelligo, cum haec physica numina, quae intelligi volo, allegoricam vim proprie nullam habuerint, juniores vero dii allegoricis explicationibus semper obnoxii fuerint. In eo autem viro illi assentior, quod Titanes significare terrae liberos statuit. Nam haud dubie hoc nomen descendit ex *Phoenicea* voce טיט indeque profecta *τίταια*, qua Thessalos verisimile est terram appellasse (Diod. Sic. III, 57. V, 66). Nec mirabitur quisquam, Solem, Ignem, Aquam, Lunam cet. Terrae liberos esse dictos. Contra qui propter Hesiodi (Theog. 209.) infelicem *παρονομασίαν* (nam ι producitur in *Τιτᾶνες*) sibi persuadet a *τιταίνω* nomen descendere, is necesse est credat etiam veram esse nominis *Ἥρης* etymologiam a poeta propositam verbis: *ἤρισεν ᾧ παρακοίτῃ*, v. 918. cet. Delectatos vero esse lusibus ejusmodi etymologicis antiquos scriptores, qui nondum intellexit, jam confer. Aeschyl. Theb. 132. 643. 815. Agam. 692. 709. 1089. 1093. Soph. Antig. 110. Ajax. 425. 571. 897. Philoct. 927. Eurip. Phoeniss. 1503. 645. cll. Quint. Inst. Orat. V. 10. Cic. in Verr. II. 1, 46. 4, 43. 2, 7. 4, 24. 3, 60. 2, 78. de Divin. II, 40. de Orat. 23. Videtur vero etiam totius de Titanibus fabulae Thessalia, in qua decertatum est, patria esse. Homero quidem peregrinum sonasse hoc nomen intelligitur ex verbis *οἳ Τιτῆνες καλέονται* Il. XIV. 279; Hesiodo autem sacrum et augustum visum est, semper quippe dicenti *τιτῆνες*

θεοί. Cujus rei diligentior indagatio cum hujus non sit loci, juvat hac fabula numerum earum rerum augere, quae Aesch. Promethei lectoribus Thessaliae recordationem excitant: v. Cap. IV. Not. Accedit Chironis fabula, quam ab Aeschylo v. 1027. commemoratam, Thessalicam originem habuisse omnes ejus partes ostendunt. Namque Centaurorum cum communis patria Thessalia fuerit, tum conjunctissimus Peleo et Thetide ubique hic reperitur, cf Boeckh. Commentt. in Pind. p. 322 et 370.; apud Aeschylum vero et Apollodorum etiam Prometheo et Hercule; et is quidem a stirpe Heraclidarum Thessalica fabulae videtur immixtus esse, cf. Boeckh. l. l. p, 332.; illi autem cum Chirone arcta intercedit conjunctio. Primum uterque de hominum salute meritissimus fuisse fertur imprimis tradita arte medica et χειρωναξία (Paus. V. 19, 2.), abs quo Chiron nomen habet, ejusque poenitet Vulcanum, Promethei successorem, ap. Aesch. Prom. 45. Deinde fato accidit, ut neuter ab arte sua sibi auxilium petere posset, ibd. 85. 470. 475.; Prometheus tamen malis liberaretur Chirone mortuo. Qua fabula nescio an prodatur in Chironis, qui rudi et ferina forma esset, locum gentem quandam Thessalicam pro summo suo benefactore Promethei nomen libenter recepisse Heraclidis auctoribus. Certe memorabile est, quas Homericae aetatis reperimus Centaurorum formas speciesque non modo humana, verum etiam divina natura dignas, eas Aeschyli jam tempore in monstra neque diis neque hominibus grata fuisse conversas. Sed ideo haec disputo, ut appareat, potius Thessalicum, quam quod Welckero l. l. videtur, Lemnium omnis Prometheae argumentum dici posse: nam

Chiron non magis ad Lemnios pertinet quam Prometheus; atque si apud Thebanos cum Cabiris Prometheus conjunctus reperitur, monet hoc quidem, eum ad ignis numina antiquitus relatum esse, non tamen, e Lemniis Cabirorum sacris in scenam arcessitum. Ex picto illo vasculo (ap. Welck. p. 261.) potius ipsum virum, cujus in sepulcro repertum est, Cabireis initiatum fuisse conjeceris. Deinde, quod apud Ciceronem est furtum Lemnium, quam parum valeret ad conjecturam de argumento Promethei Igniferi faciendam, in censura, quam pluribus mox attingemus, Lipsiensi, explicitum est. Denique ut fabulae de Prometheo pristinae, priusquam in Thessalia quasi novas radices egerit, patriam esse Caucaseos fines, argumento etiam illud est, quod, qui eandem narrat, auctor libri Henoch ibi ex Angli, qui librum vertit, sententia habitavit: ita illud, quod Welckero, a quo haec didici, Pandorae quoque mentio ibi inferri videtur, nostram confirmat opinionem, qua primum in Thessaliam, quae ipsa sit Πύῤῥα s. Πυῤῥαία, hanc fabulam translatam esse existimamus: Welck. l. l. N. 101. p. 77 sq. At vero ut redeat, unde deflexit, oratio, omnium maxime tenendum est, Aeschylum certe quos dixit imperio dejectos deos, et natura et vetustate longe praestantiores esse, reapse credidisse. Narratio quidem ejus in Prom. ex antiqua illa de diis imperio deturbatis fama redundavit, quam priore tempore Linus et Thamyris, posteriore Eumelus et Arctinus cantu celebrarunt, atque antiqui philosophi et theologi varie explicarunt tractaruntque. Homerus et Hesiodus saepius eam commemorant, peculiarique modo Aristophanes Nub. 1456. Δῖνος βασιλεύει, τὸν Δί᾽ ἐξεληλακώς. Aristo-

nis vero mentionem injiciens vix me contineo, quin ejus Plutum respectu Promethei Aeschyleae habito scriptam esse contendam. Videas modo et nomen utriusque fabulae et oeconomiam, cum propositus sit deus sive daemon acerba patiens, tumque miseria liberatus, missus a Jove Mercurius cet., atque res singulas. Nam in comoedia quoque Jupiter hominibus invidet v. 74. punitque ideo Plutum; ubique Jupiter ejusque potentia deridetur. Postremo ad verborum et sententiarum similitudinem aestimandam confer haec:

Plut. 109. 10. *οἴει γὰρ εἶναι τὴν Διὸς τυραννίδα,*
καὶ τοὺς κεραυνοὺς ἀξίους τριωβόλου cet.
cum Prom. 357. *ὡς τὴν Διὸς τυραννίδ' ἐκπέρσων βίᾳ.*
et 915. — — — *πρὸς ταῦτα νῦν*
θαρσῶν καθήσθω τοῖς πεδαρσίοις κτύποις,
πιστὸς τινάσσων τ' ἐν χεροῖν πυρπνοῦν βέλος.
Plut. 115. *ἐγὼ γὰρ ἀποδείξω σὲ τοῦ Διὸς πολὺ*
μεῖζον δυνάμενον sq.
c. Prom. 922. *ὃς δὴ κεραυνοῦ κρείσσον' εὑρήσει φλόγα*
βροντῆς θ' ὑπερβάλλοντα κρατερὸν κτύπον.
cll. 517. 768.
Plut. 144. *τέχναι δὲ πᾶσαι διὰ σὲ καὶ σοφίσματα*
ἐν τοῖσιν ἀνθρώποισιν ἔσθ' εὑρημένα.
c. Prom. 506. *πᾶσαι τέχναι βροτοῖσιν ἐκ Προμηθέως.*
— 459. *καὶ μὴν ἀριθμὸν ἔξοχον σοφισμάτων*
ἐξεῦρον αὐτοῖς.
Plut. 1098. (*Ἑρμῆς*) *Ὁ Ζεύς, πόνηρε, βούλεται* cet.
c. Prom. 944. (*Ἑρμῆς*) *Σέ, τὸν σοφιστήν, τὸν* cet.
Plut. 1149. *ὡς ἀγαθόν ἐστ' ἐπωνυμίας πολλὰς ἔχειν.*
c. Prom. 209. *ἐμοὶ δὲ μήτηρ — πολλῶν ὀνομάτων μορφὴ μία.*

At sufficit haec Aeschylea, quae Aristophanes in Plut. respexerit, cum alia exempla repertu sint facilia, annotasse. Iis multo graviora afferri possent, si prior utriusque dramatis editio aetatem ferret. Nam Prometheum quoque multis locis mutatam et emendatam

esse maxime ex iis vocibus et versibus intelligitur, quos antiqui scriptores inde excerptos habent, in nostris autem exemplaribus aut omnino desiderari videmus, aut mirum in modum discrepantes exstare. Et versus quidem a Galeno ex Vincto Prometheo excitati (cf. Fragm. VI.) post v. 791. locum haud dubie habuerunt; ubi ceteri, ipsis verbis indicatur. Gratissimum vero nobis esset, si omnibus Prom. locis, qui aperte corruptelis et lacunis laborant, auxilium ex aliis scriptoribus petere liceret. Ut nunc quidem res se habet, ne audacissimis quidem conjecturis textus restituitur. In quam rem quae attuli, ea his supplentur:

v. 49. (p. 120. h. l.) Verbum πέπρωται Aeschyleis quidem ex locis Prom. 518. 815. et fragm. II. sumsi; sed ostendendum est, in MSS. permutatum id utique inveniri cum πράττεσθαι et, quod ad eundem locum p. 130. attuli, cum δράττεσθαι. Vide igitur Pors. ad Or. 1311. Med. 1060.

v. 182. (p. 131.) Ut δέδια pyrrhychium esse v. 182. comprobetur, talia exempla afferenda sunt, ubi syllaba ante synizesin praecedens brevis est manetque, cum si syllaba longa antecedat facilior sit synizesis, de qua re nihildum adnotatum reperi, ne in Hermanni quidem disputatione de vocalibus mutis, c. D. Emendd. Gramm. Suppetunt autem rarioris istius synizeseos haec exempla; οὐράνια Soph. Oed. Col. 1466. ἄλιαν Aj. 358. δάκρυα Antig. 527. Nam crederes, in his litt. ι propemodum consonae vicem praestitisse. Alteram vero loci emendandi rationem, qua Pauwii conjectura τιθέμενος p. θέμενος recipitur, tres viri doctissimi, Elmslejus, Reisigius et Wellauerus pro-

pter antecedens ἀεὶ probandam esse censent. At videant, quaeso, numne in hac verborum complexione ὁ δ' ἐπικότως ἀεὶ τιθέμενος cet. prorsus contraria sententia insit, haec: unusquisque enim iracunde utens animo inflexibili cet. Etenim ἀεὶ inter articulum et participium interpositum hanc vim semper habet, ut sit: unusquisque, rarius: quotiescunque. Eurip. Hec. 1172; item si articulo et participio subjicitur, ut Prom. 937. τὸν κρατοῦντ' ἀεὶ: unumquemque regnantem; cf. Blomf. ad h. l. Monk. et Wuestem. ad Alc. 710.

v. 136. (p. 132.) De interjectionibus saepius omissis vide Schwenk. ad Sept. Theb. 226, Seidl. Dochm. p. 195.

v. 235. Lectionem ἐγὼ δ' ὁ τολμῆς omnino existimo esse restituendam et propter Codicum consensum et propter raram eam adjectivorum formam, cujus exempla librarii conserunt oblitterare, cf. Buttm. ad Soph. Philoct. 984.; Amplior. Grammat. p. 267. Verum cum ἦν male hic desideretur, punctum ante ἐξερυσάμην delevi, quo pacto oratio bene procedit. De Promethei audacia et ab ipso et ab aliis personis in hac fabula saepius mentio injicitur. Ceterum Monkius ad Alc. 284. legendum esse censet: ἐγὼ δ' ἐτόλμησ'. ἐξερυσάμην βροτοὺς Τὸ μὴ δ. pro τοῦ μὴ δ. cum edit. Rob. et duobus Codd.

v. 531. (p. 135.) Corruptela hujus loci satis est memorabilis: nam, aut omnia me fallunt, aut signum πρ. simileve omnes istas turbas movit, aliis id παρὰ (f. πρὸς), aliis πόρον, aliis πατρὸς interpretantibus, quas interpretationes omnes jam MSS. offerunt arte quadam congestas. Opinio mea sustentatur iis, quae Blomfieldius dixit Animadvs. in Iph. Aul. 1242.

Ceterum de versuum, quas paululum audacius feci, divisionibus in Sec. Specimine exponam.

v. 408. (p. 134.) De dicendi rationibus huic *μεγάλαν καὶ μεγαλοσχήμονα* similibus, h. e. talibus, ubi vocabulo simplici compositum compositoque simplex apud tragicos subjectum est, vide Elmsl. ad Med. 1219. Math. ad Or. 175. Wuestem. ad Alc. 410. Schwenk. ad Theb. 7. Exemplum Aeschylo Homerus praeivit, cum *μέγας μεγαλωστί* et similia dixerit. Proxime accedunt haec Aeschylea; *μεγάλα μεγαληγόρων* Aesch. S. Theb. v. 539.

v. 550. (p. 135.) Non ausus sum *ἀλύει* in textum inserere, praesertim quod litteram *υ* hujus verbi producere Attici solebant.

v. 677. Scripsi *Ἀκτήν τε Λέρνης* lectore non monito. Accipe igitur causas. Primum vulgata lectio omnibus depravata visa est; permutatum vero saepissime reperitur *ἀκτὴ* et *ἄκρη*. v. Elmsl. Annotatt. in Iph. Taur. 253; postremo *ἀκτὴν λερν*. habet Pind. Ol. VII. 33.

v. 899. (p. 140.) De vocibus *γενεᾷ, γέννᾳ* et *γένει* permutatis vid. Elmsl. Rew. Iphig. T. ex rec. Seidl. 153. Deinde in antistr. Aldinae corruptam lectionem supra rectius indicavi. Inde quod erui verbum *ἅπτεσθαι*, id dicitur de re nuptiali ita ut addatur *γάμου* s. *εὐνῆς*. v. Valckenar. et Pors. ad Eurip. Phoen. 960.; quapropter hoc loco *Εἰσορῶσ' Ἰοῦς γάμου ἁπτομέναν* crediderís verum esse. Et quamquam nihil impedit, quominus poeta videatur e more suo usu loquendi aliquid mutato scripsisse; *Εἰσορῶσα γάμῳ Διὸς ἁπτομέναν*; nam sententia haec est: „Paveo enim, virginitatem ejus a proco abhorrentem adspiciens Iovem nuptiis attingentem, propter miseros errorum a Junone immissorum labores;" tamen, cum melodia sit dorica, illam conjecturam nunc praefero.

v. 1057. (p. 141.) In verbis εἰ τοῦ δὲ τύχῃ Conjunctivum εἰ ex more lyricorum et epicorum poetarum adjunctum habet, ut v. 196. εἰ βλάπτῃ, saepiusque alibi ap. Aeschyl. (v. Wellauer. ad Eum. 225.) secundum Codd. Quibus in rebus qui Codicum nullam esse auctoritatem censent, pro εἰ h. l. legant ἢν, quod saepissime cum εἰ esse confusum in vulgus notum est. Tum χαλᾷ futurum esse potest: quid remittet? ——

Incommodissimum mihi vero accidit, ut quae Welckerus de iisdem argumentis libro praestantissimo scripsit, de eoque Hermannus, auctor acutissimus Censurae in Ephemerid. Lips. mens. Januar. 1825. adnotavit, tum demum cum liber hicce jam sub prelo esset, in manus mihi venirent. Quae ita a meis differre ut summae doctrinae artisque perfecta monimenta a juvenilis aetatis conatibus, non pudet me fateri. Et hic quidem quibus Welckeri de tetralogia Promethea in universum, atque de Prometheo Πυρκαεῖ, deinde de Ius itinere propositam sententiam refutavit, iis ita accedo, ut haec videantur monenda esse. Primum negari quidem nequit, symbolicam seu philosophicam Prometheae sententiam et vim, quam Welckerus latere statuit, esse eam, quam nec poetae dramatico licuerit scenicae actioni addere, nec spectatores divinare aut elicere potuerint, cum philosophicae dissertationi conveniret. Contra vero ingenium excelsum, quod injusta poena se affici persuasum habens tyranno saevienti cedere nolit, tantummodo hac fabula ostentari opinanti viro doctissimo omnis fabulae oeconomia adversatur, quippe qua penes fatum supremam potentiam esse doceatur, Jupiter autem aperte deridendus proponatur, cujus sors ejusdem ex immutabili arbitrio pendeat, et mox miserrima futura sit, si Pro-

metheum sibi reconciliare nolit, et qui nefariis suis facinoribus humanam suam imbecillitatem prodat. Enimvero talem Jovem cultoribus ejus non ostentasset, nisi si quod animo suo statuebat de civitatis diis, de iisque, quos antiquiores nominat, id libere omnibus aperire voluisset: quapropter de religionibus in hoc dramate agi cum aliis censeo. Deinde idem ubi Welckeri de loco affixi Promethei sententiam impugnat, non videtur recte contendisse, alio prorsus loco debuisse Prometheum in lucem reverti, quam quo conditus fuisset, nec de verbis Scholiastae *A*. (ad v. 1. *ἰςέον δὲ* cet.), ut qui in sequentibus saepius Caucasum nominet, accurate judicasse. Neque Aeschyli verba: *πρὸς αὐτὸν Καυκ.* nostrae sententiae adversantur, quod Caucasei jugi, cujus in parte occidentali Io et Prometheus versabantur, apicem significant, atque nomine suo mons spectatoribus nominandus non erat, cum de Scythico monte dici audiens nemo non intelligeret indicari Caucasum, Promethei fabula pervulgatum. Arabiam denique non opus est credi septentrionales ad regiones ex poetae sententia pertinuisse, quia verba *ὑψίκρημνόν θ' οἳ* (ita enim in omnibus Codd. et Edd. legitur) de incolis Caucaseae urbis, Prometheo tum vicinae intelligenda sunt, non de Arabibus; quas propter causas et propter additum *πέλας* nec *τοῦδε Καυκ.* dici oportebat. Atque fac omitti debere illud *θ'* post *ὑψίκρ.*, Aeschylus videri potest vel de Arabico populo in has regiones profecto cogitasse, vel ab Arabiae sede opinione sua multum aberrasse, quod et aliis accidisse Vossius docuit, vel aliter, ac nunc legitur, scripsisse, id quod nulli de hoc loco commentati non suspicati snnt; quapropter de hac facultate

tacui h. l. Cap. IX. Itineris ipsius descriptionem autem idem, nescio an recte, reprehendit, quod Welckerus ad Supplicum locum universum, nominatim ad verba: διχῇ δ' ἀντίπορον γαῖαν ἐν αἴσᾳ διατέμνουσα cet. ibi v. 540. occurrentia instituendam esse censet. Non magis verisimile est, propter v. 411. credendum esse, Caucasum in Asia fuisse a poeta collocatum, cum propter v. 134. Io adhuc in Europa versari putanda sit, quo eam rediisse nihil cogat nos cum Welckero arbitrari. Apertius fortasse, Bosporum credens v. 788. significatum esse utriusque terrae terminum fallitur Welckerus, quia Arrianus docet (cf. Fragm. Prom. Sol. IV.), Phaside terras dividi secundum Aeschylum. Contra libenter viro egregio assentior in eo, quod p. 143. negat, ab oriente occidentem versus ad Gorgonas cet. virginem delatam esse, quae plerorumque est sententia.

Sed sufficiat his opinionum nostrarum diversitates demonstrasse. Quodsi ita hoc factum est, ut judicii de mea opera, praesertim si quid humanitus exciderit, ferendi aequitatem benignitatemque viderer jure exspectare, vehementer laetabor.

Scribebam Regiomont. M. Cal. Febr. MDCCCXXVI.

C. Haupt.

INDEX CAPITUM.

C A P. I.

DE ARTIS DRAMATICAE APUD GRAECOS ORIGINE ET PROGRESSU.

In quaestionibus hisce de Aeschylo instituendis intelligo a primis mihi cum dramaticae tum maxime tragicae poeseos initiis esse exordiendum. Quae quamvis opera ac studio virorum doctissimorum Casauboni, Bentleji, Gu. Schneideri, Boeckhii, Thierschii, Jacobi al. multum jam illustrata sint, tamen neminem fugit, nonnullis adhuc obruta esse tenebris. Quas ego ne cui hac disputatione dimovere velle videar, in hoc tantum me operam posuisse fateor, ut dithyrambicae poesi et rei mysticae quae cum tragica arte apud Graecos necessitas fuerit, cognosceretur. Pro certo autem cum haberi videam, dramaticam poesin apud Graecos a lyrica esse profectam, hoc si in universum accipitur, rectum mihi quidem, falsum vero videtur, si accuratius quaesiverim. Nam ab initio lyricae, epicae, adeo dramaticae poeseos rudimenta commista reperiuntnr; commistisque his cum ex aequo omnibus cantatio et saltatio fuerit adjuncta, non facile, quae prius ex hac quasi congerie emicuerit, demonstrabi-

tur. Lyrica autem initia multo quam fere putantur antiquiora sunt, diuque ante Homerum ponenda: qui uno saltem loco inter multos, ubi lyrica poemata commemorat, vel inscius hujus poeseos originem indicat. Etenim Il. XVIII. 560. sq. postquam in Achillis clypeo vinetum descriptum fuisse dixit, ita pergit:

παρθενικοὶ δὲ καὶ ἠΐθεοι, ἀταλὰ φρονέοντες
πλεκτοῖς ἐν ταλάροισι φέρον μελιηδέα καρπόν.
τοῖσιν δ' ἐν μέσσοισι πάϊς φόρμιγγι λιγείῃ
ἱμερόεν κιθάριζε, λίνον δ' ὑπὸ καλὸν ἄειδε
λεπταλέῃ φωνῇ· τοὶ δὲ ῥήσσοντες ἁμαρτῇ
μολπῇ τ' ἰΰγμῷ τε ποσὶ σκαίροντες ἕποντο."

Ex admiratione enim naturae ad vires ejus genetrices celebrandas lyricum genus exortum est; et messium ad divinum datorem pie colendum cum, qui eidem cultui addicti erant, Graeci convenire solerent, horum conventuum celebritas videri potest etiam mysteriis quibusdam originem dedisse, quum qui his solemnitatibus sacerdotes, poetae aliisve studiis viri insignes praeessent, res rudioribus animis sublimiores, inprimis sanctam memoriam numinum mortuorumque a meritis divinitatem aliquam adeptorum rite celebrandam, sive ab peregrinorum deorum cultoribus coacti, sive aliorum populorum exemplum secuti privatos inter parietes procurare coepissent. Deorum cultu ita instituto et poeseos et omnis humanitatis studia mirifice provehebantur: Plutarch. Isid. et Osir. passim; Cic. Legib. II, 14; In Verr. V, 72. Locus Homeri autem ita comparatus est, ut, cujus mentio fit cantus jam cum liberiore quadam saltatione conjunctus, per se perfectus atque lugubris videatur fuisse: v. Eustath. ad h. l. Paus.

Boeot. IX. Athen. D. I. p. 15. Cas. Cujus auctorem cognominem, quamvis ambigua sint indicia, recte in mysticorum poetarum numerum referas, qui interiore quadam tristioreque cultus forma utentes, pioque animi ardore naturae vires admirabiles versibus celebrantes, *ἀοιδοί, μάντεις* ac *θεόλογοι* dicebantur. Fertur enim composuisse *κοσμογονίαν ἡλίου καὶ σελήνης πορείαν καὶ ζώων καὶ καρπῶν γενέσεις*, ita exorsus: *ἦν ποτέ τοι χρόνος οὗτος, ἐν ᾧ ἅμα πάντ' ἐπεφύκει.* Propius huc pertinet, quod auctor habetur modi lyrici: *μούσης λυρικῆς πρῶτον γενέσθαι ἡγεμόνα*, tradit Svidas. Sed certum potius modum ab Aegyptiis et Phoenicibus in sacris fortasse cantatum atque cum orgiorum solemnitatibus in Graeciam translatum excoluerit: Herod. II, 79. al. Quem *θρηνητικὸν* et in *πένθεσι* proprie adhibitum, etsi posteriore aetate *καὶ ἐν εὐτυχεῖ μολπῇ* cantatum esse ex Euripide Athenaeus observat, vel ex eo intelligitur, quod et nomen traxisse ex Phoenicia voce לִין, ejulatum, gemitumque significante, et ab Aegyptiis primum *ἐν θρήνοις* filii regii cognominis, et a Graecis in mortem Lini poetae decantatus esse traditur, et aliis ex rebus, quas vide apud Otfr. Mueller. Dor. II, 34. 7. Eam cantionem voce et motu congruente quum apud Homerum instituant messores, legentibus mysticorum canticorum, maxime eorum, quae Lini aequales Pamphus, Olenus, Orpheus et Musaeus in Cererem et Proserpinam composuerunt, et inter Eleusiniorum sanctos ritus prisca Lycomidarum gens decantabat (Facius ad Paus. Boeot. IX. Att. XXII.) recordatio succurrit, neque minus illorum, quae Icarienses permultique alii populi antiquitus inter messes edebant (Boeckh: Ueber die Lenaeen, 10: Ab-

handl. der Berl. Acad. 1816.) His quidem Bacchus, omnis fertilitatis numen, celebratus est; cui et ipsa olim oracula jusserant choros solemnes per omnes populi pagos in gratiam annui proventus institui: Buttmann ad Demosth. Mid. 15. Ejus dei quod apud Homerum non fiat accurata mentio (nam loco Il. VI, 130 sq., de quo cum multa alia in utramque partem dici possunt, tum hoc, de graeco deo ibi non narrari, parum tribuo: cf. Knight ad h. l.), non mirabuntur, qui de ejus cultu quae tradantur non ignorant. Inde enim hoc apparet, eum posteriore aetate, licet ante civitatem Athenarum a Theseo constitutam (Thucyd. II. 15.) a peregrinis in Graeciam translatum, contemtum vero ab indigenis sive propter nimiam ejus tristitiam, sive propter amplam Cereris, quam frugum matrem venerari a patribus didicerant, dignitatem, sive sola populorum invidia, solis ab istis colonis, maxime mysteriis celebratum esse, ubi Bacchi vis ac natura, recte fortasse intellecta, cultum habuit perpetuum: Schol. Aristoph. Acharn. 242. Et Orpheus quidem hoc naturae foecundae numen ex Phrygia in Thraciam, inde in Graeciam transtulisse et mysticum ejus cultum instituisse dicitur: quamquam sunt, a quibus Melampodi aliisque id tribuatur. Cui deo, quibus in patria cantilenis celebrari solebat, hic quoque carmina lugubris ingenii tragica et dithyrambica primum decantata sunt. Orphica deinde doctrina cum antiquiore Eleusiniorum institutione quodammodo coalescente Bacchus Cereris filius, Proserpinae alumnus, seriusque adeo τελετάρχης factus est. Plane diversus ab hoc, ex veterum ipsorum testimoniis, et vi sua dignitateque et

cultu Bacchus exotericus, qui serius Eleutheris profectus Athenis invaluit, vel sponte sua, vel colonorum patrium, quem esse eum putabant, cultum propagantium studio (Meurs. Reg. Athen. III, 10), vel, ut alios quoque deos publice receptos esse veteres scriptores narrant, oraculorum mysteriorumque auctoritate et admonitione (Pausan. 1, 2, 4. cf. Boeckh. Ueber d. Lenaeen.). Liberiorum enim cantuum, saltationum et actionum mimeticarum genere Bacchi, cum graecus esset factus, et vini datoris publici ritus distinguebantur. Homerus vero, in ceteris graecae mythologiae magister subtilis et gravis, cum neque Bacchi neque Cereris aliorumve numinum arcana quadam reverentia mentionem injiciat, hoc et disciplinam arcani omnino ipsum ignorasse, et maxime Jones ab orphica ea vel mystica religione abhorruisse, videtur documento esse. Neque id mirum est, cum Homeri aetate vetusta Jonum austeritas (τὸ αὐστηρὸν καὶ σκληρὸν, sola quod in Jonica harmonia remanserat: Athen. Deipn. XIV. 624, 25.) laetiore coelo admodum mollita esset, ac pristinae vitae religionisque tristitia et severitas cessisset elegantioris et liberalioris disciplinae deliciis: Jac. Quaest. Soph. p. 93. Popularem igitur, hilarem ac jocosam sui temporis poesin Homerus nobis exhibet; cujus insigne exemplum non sine imitationis et saltationis vestigiis Phaeacum solemnitas suppeditat: Od. VIII, 250 — 380; quo cum loco si Il. XVIII, 194 et 590 sq. Od. IV, 18. contuleris, horum cantuum liberiore saltatione atque imitatione insignium et distincta perfectaque genera et summam apud Graecos antiquitatem cognosces. Austerioris disciplinae erant vetustissimi, qui praeter Linum

et Orpheum nominantur, lyrici illi poetae Eumolpus, Melampus, Musaeus, Olenus, Theomis, Thamyris aliique, qui et omnes mystico cuidam cultui indulsisse videntur, et dithyrambici adeo tragici vocantur, v. Fabric. Bibl. Gr. I. Et Theomin quidem auctorem etiam Minos et Auleas secuti tragica dramata feruntur composuisse. I. Malala 1. Chron. p. 181. cf. Bentl. ad Mill. Sed de cantibus tragici modi vel dithyrambis ea videntur intelligenda esse. Dithyrambus autem, quod indicatur ejus nomine et usu peculiari, e mysticis religionibus ortus atque pervetustus erat. In quo qui proprie inerat modus Phrygius, is lenis primum, compositus, precibus aptus ac religiosus, postea, numini Bacchi mutato obtemperans tam violentus et enthusiasticus exstitit, ut quivis cantus a sobria et castigata dictionis numerorumque ratione vehementer recedens diceretur dithyrambus. Et Baccho tum quidem concitati chori eum ita canebant, ut animi furorem quendam saltationibus, imitationibus et actionibus exprimerent. Postea cum etiam alios deos, adeo homines eo cantu celebrare coepissent, factum est, ut acclamaretur: οὐδὲν πρὸς Διόνυσον. Ita etiam paeanes, qui Apollini proprii et ab initio τελεσίεροι erant, postea hominibus, ut Demetrio ab Atheniensibus, imperatoribus vero suis a Romanis cantati sunt: Athen. VI. 253. Herod. IV, 2. Eandem sortem tulit κῶμος dionysiacus. Dithyrambica vero poesi qui primum inter Graecos usi dicuntur, felicissime in ea elaborasse videntur, Alcman, Archilochus, Arion, quem narrant Σατύρους εἰσενεγκεῖν ἔμμετρα λέγοντας, Lasus et Dithyrambus ipse Thebanus, si quem vere fuisse putes. Eas

vero hic cantus passus est novationes et mutationes, ut dramaticae ac verae tragoediae persimilis fieret, eaque exorta ex illo putanda esset auctore Aristotele. Ac primum quidem teste eodem Problem. XIX, 15. dithyrambi antistrophas habebant; iis carebant, ἐπειδὴ μιμητικοὶ ἐγένοντο. At μιμητικοὶ qui tum exstiterant, quales tandem fuerunt? Vere dramaticae, inquam, imitationi et rationi propiores. Nam non solum ita comparati erant, ut alia in se persona suscepta dithyrambum poeta cantaret, sed ut etiam alii aliis personis induti accinerent. Atque ejus, cui canebat, personam simulans poeta paulo diverso modo ac dithyrambicus vel cyclicus chorus, tragico scilicet cantabat: Suid. Arion, cf. Herm. ad Aristot. Poet. Cap. I. Quam artem aliis, ut videtur, jam exemplum praegressis, Arion libere adhibuit, inque memoriam Bacchi ex satyris constantem fecit chorum, in dramaticum modum agentibus (τὸ παλαιὸν ἐν τῇ τραγῳδίᾳ πρότερον μὲν μόνος ὁ χορὸς διεδραμάτιζεν Diog. L. III. 56. cf. Athen. D. XIV. 630: hinc Aristoteles Poet. IV. ἐκ σατυρικοῦ μετέβαλεν τραγῳδ. cet.). Tragoediae nomine hoc dithyrambicum genus imprimis gaudens alii deinde ita mutarunt, ut choro omisso ab singulis quasi actoribus scenicis diversas personas et vestitu et cantu et habitu imitantibus carminis partes canendas saltandasque facerent. Ita hac in arte videtur etiam Philoxenus esse versatus; et Thespidis aetate ad unum usque agentium numerus jam redactus erat, τὸ πλῆθος τῶν ὑποκριτῶν cet. Aristot. C. IV. Hoc igitur ad fastigium variis rationibus deinceps tentata ac mutata pervenit apud Graecos dithyrambica poesis; quam eo modo jam ultra perfectionem suam

progressam et per pravam nonnullorum licentiam potius fuisse corruptam dixeris: v. Dionys. Hal. de compos. verb. 19. Plut. de Mus. 12. Alterum dithyrambicae poeseos genus, phallica carmina, alii excolentes satyricam inveniebant poesin eam, unde comoedia nata est dramatica. Satyricis vel comicis choris antiquitus numina patria coluerunt Epidaurii, Megarenses, Phliasii, Sicyonii, alii: Mueller. Dor. III, 347 — 65. Choro omisso qui magis mimetica ejusmodi carmina scripserunt poetae posteriores, comoedias composuisse traduntur. Veluti Telesten Svidas ex Athenaeo (XIV, 616.) comicum facit, qui comici generis dithyrambos, satyrica vel comica dramata scripsit: Herm. ad Aristot. I, 2. Jacob. Quaest. S. p. 39 sq. — Haec est itaque ars illa *αὐτοσχεδιαστική*, quam dramaticae Atheniensium comoediae juxta ac tragoediae antecessisse Aristoteles docet Poet. IV. Et tragicum quidem nomen eadem origine eademque vetustate est ac dithyrambicum. Modus tragicus dithyrambico sedatior ac flebilis, cornu ductus cum stabat sacer hircus ad aram, ut est apud Virgilium, decantari solebat in mysteriis Bacchicis. In quibus quid sancta hirci dilaniatione primum sit significatum, non ita certo erui potest. In Ascoliis quidem similis obtinebat mos, sed vini datori Baccho sacer; neque propius ad rem pertinet Haemophagia, mystica significatione ea quidem non carens. Verum etiam alias majorisque eas momenti partes in Bacchi rebus agit hircus. Hircina forma Bacchum, ut est apud Apollodorum, indutum, vel hirco, ut est apud alios scriptores, insidentem Mercurius a Jove, Junonis iram timente, jussus Nysam subduxit, ubi a

Nyseidibus educabatur. Postea caprina forma sumta Typhoeum fugiens in Aegyptum venit, ibique ab illo dilaceratus est: ut horum factorum memoria illo ritu posset servata esse, nisi posteriorum demum mythologorum et Graeci ingenii haec commenta esse viderentur. Namque ad antiquissima Bacchicorum mysteriorum tempora illius ritus origo referenda est. Ubi cum Bacchus fuerit χθόνιος sive πρωτογόνος, natura quidem sua, nondum nomine, h. e. vis naturae procreatrix, quam etiam hircus Mendesius significavit, ejus hircina forma repraesentati dilaniatio, atque dilaniata membra anxie colligens Demeter initiatis ideo videtur proposita esse, ut genitalem naturae vim cernerent lugerentque fractam et moribundam. Qui ritus dramaticus in Osiridis, Aegyptiaci Bacchi mysteriis, ubi a Typhoeo, non, ut Graeca fabula fert, a Corybantibus et Titanibus discindebatur, primum celebratus eandem rerum naturalium significationem habuit, non eam, quam Diodorus affert. Aegyptii vero Bacchi hircina forma repraesentandi Graecis ita auctores fuere, ut pro hieroglyphica sua ac symbolica doctrinae ratione primum hircino capite appicto numinis propriam vim significare solerent: Heeren, Ideen üb. d. Polit. d. alt. W. II, 667.*) Inde etiam ille hirci deo immolandi et pro

*) Bacchi scil. Phrygii, quem nolim confundi cum Thebano: hunc ab Osiride diversum esse aeque constat, ac Phrygium illud naturae foecundae numen cum Aegyptio Osiride fere idem esse. Ab Orphicis primum haec numina confundebantur. Atque ne Vossiana doctrina parum institutus videar, addo, tum notionem numinis terrae genetricis illam, tum talem ejus repraesentandi rationem non modo Aegyptiis,

praemio dandi mos manavit, ex quo demum tragoediae nomen accessisse falso putatur: Jacob. Quaest. S. 104. sq. Nam actio illa arcana praebet nobis δρᾶμα τραγικὸν primum et archetypum, atque solemnitatis in Apollinis sacris hyporchematicae imitationeque insignis exemplo satis illustratur; inter eamque qui tragicus audiebatur cantus, ejus modus habeat oportet ἦθος θρηνητικόν, saltem βαρὺ καὶ σεμνὸν, item saltationis genus (τραγικὴ ὄρχησις κτλ. Athen. D. I, 21.), quo cum actionibus conjuncto mystae tum utebantur. Tragico eo modo in dithyrambis Arionem aliosque usos esse, paulo ante dictum est. Tragoediam inde exortam lyricam cum Sicyoniorum chori ad tristes Adrasti casus celebrandos adhibere solerent, Clisthenes Baccho, cui propria erat, restituit. Sed utique non essent ita usi, nisi ad illa funebria apta et ex ejusmodi lamentationibus haec poesis profecta fuisset. Quid? quod mysteria omnino ideo, ut manibus hominum meritis suis immortalium justa perficerentur, si non instituta, tamen hic illic adhibita esse videntur. Nam Clemens Al. „Erant ergo, inquit, mysteria certamina, quae suscipiebantur propter mortuos et facta sunt publica." Epitrept. Quae sententia etiam in Stromatis, in Plutarchi aliorumque scriptis diffusa est. Tragico autem modo etiam in aliis cantionum generibus posteriores poetas abusos esse assentietur, qui, quanto novandi

---

a quibus ad Graecos olim transire potuisse negetur, sed Phoenicibus, Assyriis omnibusque populis antiquissimis communem et tantum non innatam fuisse comparere: Jac. Quaest. Soph. 79 sq.

studio flagraverint, novit. Sed vetustissimi illi poetae ad Epigenem usque Sicyonium et postea Philoxenus, qui etiam dorio modo dithyrambos componere conatus est, ceterique omnes, quorum carmina dithyrambi pariter ac tragoediae nominari solent ab antiquis scriptoribus, dithyrambos tragicos ita fecisse putandi sunt. Hujusmodi poemata dramaticas actiones, quibuscum a primis inde initiis modum tragicum conjunctum deprehendebamus, continentia dramata tragica vel simpliciter dramata nuncupari non mireris. Eorum non tam inventionem quam perfectionem pluribus antiquitatis populis, neque ulli jure minore adjudicare licet. A Doribus quidem omnem poesin lyricam et primum et perfectissime excultam esse constat. Verum dramaticae tragoediae — τῆς κυρίως λεγομένης s. τῆς καινῆς — inventio et perfectio propter testium antiquorum consensum Atheniensibus abjudicari nequit. In Thespide Icario, quem novae rei auctorem non satis recte celebrant, commistum adhuc conspicitur et quasi conflictans tum dithyrambicae poeseos genus tragicum cum comico, tum utrumque extemporale rudimentum cum arte vere dramatica. Phrynichus autem et Aeschylus ad perfectionis fastigium multo propius eam adduxerunt. Ille quidem a ludis satyricis et a Baccho recentiori ad graviora iterum tristiaque argumenta direxit artis tragicae cursum. Ad trilogiarum modo dramata satyrica, quibus spectatorum animi gravissime affecti et concussi relaxarentur, quae sibi comici vindicaverant ludicra, a tragicis adhibebantur. In comico genere summam laudem sibi paraverunt Choerilus et Pratinas. Comi-

co de nomine vero cum alii aliter disputent, vestigia persequens eo adducor, ut verba unius radicis esse putem κώμη, κῶμος, ἱκάνω s. ἵκω et Germanicum Kommen. Et κώμη quidem primum locus est, ubi contribules solebant convenire maxime ad curanda sacra gentilicia. Similes sunt origine significatuque voces Ἐλευσις, Ὀρχόμενος al. Κῶμος vero solemnitatem adventionis significat, vel sacram processionem quamcunque, maxime Bacchicam s. Phallicam illam, quae comoediae dramaticae parens dicitur ab Aristotele. Cantus vero inter has solemnitates s. κωμῳδίαι quam similes et a primis inde initiis fuerint dramaticis comoediis, et semper manserint, demonstratione non eget. Verum uti ἐνθρονισμὸς non modo τὸ ἐνθρονίζειν, sed etiam carmen inter deducendas deorum statuas cantatum significat, ita pro κωμῳδία nonnunquam simpliciter κῶμος dicitur, quod etiam cantionis jocosae genus quodcunque significat; adeo tragoediae Thespidis aliorumque tragici conatus apud antiquos scriptores κῶμοι sunt: Bentl. Phaler. Epist. p. 235. Nominabatur vero etiam omnis cantibus celebrata commissatio κῶμος; ea significatio frequentissima ita quidem est, ut iterum ipse quoque commissationis cantus nonnunquam κῶμος dicatur, quod alibi ἐγκώμιον esse solet: in quo genere Pindarica carmina quasi agmen ducunt.

E religionibus vero, interioribus, maxime illis et arcanis, non solum nomen tragoediae et comoediae primaque ista initia, sed, quod nunc demonstrare studebo, posteriore aetate scenicus apparatus quoque perfectiorque omnis conformatio videntur profecta esse. Etenim cum essent sacerdotes, qui ampliorem,

quam de personis aut natura sua divinis aut ad immortalitatis et religionem et memoriam consecratis notitiam habere et aliis et sibi videbantur, omnibus promiscue hominibus aperire nolle simularent: his potissimum auctoribus pristina mysteriorum ratio, qua Naturae numen gentilicium privato cultu celebrabatur, peculiares in ceremonias et solemnitates videtur abiisse, quibus de diis mysticis cogitata sive accepta, ita ut res ageretur perfectiore jam arte, proponerentur. Quos dramaticos ritus alii quidem ex antiquioribus aliorum populorum mysteriis in graeca translatos esse volunt. Et primam quidem mysteriorum institutionem quamvis antiquitatis fere omnes sibi populi vindicent suaque ab extrema origine repetant: tamen multo antiquissima ab omnibus fuisse creduntur Aegyptiorum et Phoenicum mysteria. De Aegyptiacis vero res h. l. gravissimas jam attuli; accedat tamen insignis Herodoti locus II, 171., qui docet, numinis historiam in iis celebrandis proponi solitam, religiosum de iis silentium fuisse observandum, et ritus hinc in Graeciam profectos esse. Etiam memorabilius dramaticae actionis in ritibus his arcanis frequentatae exemplum exhibet locus II, 63. Ipsi vero Aegyptiorum sacerdotes, qua fuerunt vanitate, Eleusinia ex Aegypto in Graeciam translata, ibique ab Orpheo plane ad Aegypti quorundam mysteriorum exemplum instituta esse, jactitarunt: Procl. in Theol. Plat. I, 5. Diodor. I, 29. ed. Eichst. Atque Orpheus cum non modo mysteriorum, sed tragoediarum quoque primus habeatur auctor (Fabricius contra B. G. I, XIX. hanc de tragoediis ab Orpheo inventis famam loco Niceph. Gregor. Hist. Byz. p. 889. male intellecto

niti opinatur): eo ipso, quae horum cum illis fuerit affinitas, symbolice prodi videtur, praesertim si eam nunquam vixisse credimus Aristoteli ap. Cic. N. D. I, 28; id quod nominis suadet origo orientalis cum re in Graeciam allati: nam a radice אורף (Urf), unde etiam Persarum poeta mysticus nomen celebre traxit, mysticam doctrinam significante descendit: quas res vide accuratius tractantem Tiedemannum l. Griechenls. erste Philos. I. Aegyptiacis simillima fuisse Graeca mysteria narrant Herod. II, 45. Luc. Dea Syr. p. 628. Amstel. Euseb. Praep. Ev. X, 39. al. Etiam fabularum, quae utriusque populi mysteriis peragebantur, similitudinem indicat Plutarchus Isid. Osir. p. 107. Frankf. Qualia Eleusiniis imitando sint expressa optime tradit Clem. h. l. Protr. 2., atque ipsam rationem et artem, qua scenicas et dramaticas res eas instituerint, licet non diserte descriptam habeamus, et Lucianeus Alexander novis suis orgiis eam imitatus docet, (Thiersch. Einleit. Pind. p. 156.), et aliunde conjici potest: (v. quae dixi de Eleusiniis in Seebod. Arch.). His quidem in rebus ita instituendis nec Eleusinii nec ceteri antiquitatis populi, qui pari mysteriorum disciplina gaudebant, Aegyptiis egebant magistris, cum naturam sequerentur ducem pariter atque in adornandis saltationibus mysticis, de quibus Strab. Geogr. X. p. 467. D. Chrys. Or. XII, 203. Luc. Salt. I. 191; siquidem ea postulat, ut sensa declaremus voce et corporis motibus (*κατὰ φύσιν δέ ἐϛιν ἡμῖν τὸ μιμεῖσθαι*, Aristot. P. IV.); quamquam cum peregrinis Sabazii, Cybeles, Cotyos, aliisque orgiis simul peregrinos ritus ceremoniasque seriore tempore receptas esse, his non

negatur. Nam Eleusinia sacra, quae Cereri et omnino antiquis Pelasgorum numinibus primum fiebant, junioribus diis celebrandis paulatim adhibita, ac peregrinorum mysteriorum labe vitiata sunt. Primum Bacchi, genetricis quippe terrae foecunditatem significantis, ideoque arctissima Cererem affinitate adtingentis veneratio iis adjungi coepit; cum eoque in Graeciam omnino ampliora et magnificentiora certamina musica et dramatica immigrasse Bacchi et solum nomen et cultus exterus ostendit; atque paulo post, certe ante Solonis tempora, theatrales illos mysteriorum ritus summam perfectionem et exornationem nactos praepolluisse, ipsaque Eleusinia, maxime externas ceremonias publici juris facta omni patuisse populo, intelligitur ex Clem. Al. Stromatis et Epitreptico cll. Lobeck. D. Grad. Myster. Itaque factum est, ut poetae dramatici, e sacris illis quae populo praecipue placebant, in usum verterent suum. Et Thespis quidem hujus rei fortasse primus periculum fecit testante Horatio:

„Ignotum tragicae genus invenisse camoenae
Dicitur, et plaustris vexisse poemata Thespis,
Quae canerent agerentque peruncti faecibus ora"

atque: „Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum,
Mox etiam agrestis Satyros nudavit et asper,
Incolumi gravitate jocum tentavit, eo, quod
Illecebris erat et grata novitate morandus
Spectator, functusque sacris et potus et exlex."

In quibus primum illud observatione dignum est, plaustris quod primus Thespis poemata vexisse, deinde quod functus sacris dicitur spectator et

potus et exlex. Plaustrorum enim usus proprius et frequentissimus fuit in Eleusiniis: Bentl. Trag. Orig. 313. Eadem ad dramaticos illos ritus pertinuisse inde collegeris, quod qui iis vehebantur mystae, ludicris corporis gestibus et carminibus certantes hoc ad quendam interiorum sacrorum ritum faciebant imitandum. Is vero ritus ad Jamben refertur, quae Cererem tristem lascivia sua exhilaraverit ridiculisque narratiunculis: quarum rationem ad illustrandam mystae primum jambico metro usi esse dicuntur: Schol. Aristoph. Ran. 416; et aliunde quoque novimus, quantum jambica poesis Cerealibus sacris debeat: Mueller. Dor. III. p. 322. De verbis: functus sacris sq. disputat Jacob. Quaest. S. p. 132. Etiam legibus consecrata erat aliqua mysticarum et scenicarum rerum conjunctio: cf. Interprt. Demosth. Mid. 46. 47. Thespidis autem mysticum ritum illum imitati exemplo proposito perfectiorem rei dramaticae artem Athenis incrementa cepisse tanquam exoterica mysteria nemini probabo. Nam ab arte Thespidis, Choerili et Phrynichi quam difficile fuerit ad praestantiam Aeschyli tragoediam producere, in vita hujus poetae (Stanl. Aesch. p. 701.) jam indicatum est: ut is locus quo magis a criticis usquedum neglectus sit, eo accuratiore indigeat quaestione. Quo quidem negotio facile perfungi possem allato testimonio Scholiastae ad Aristoph. Ran. 886, cui nescio an fides haberi debeat: ἐν τοῖς Ἐλευσινίοις ἐτελεῖτο τὰ δράματα τοῦ Αἰσχύλου: cll. Schol. ad vs. 343. 354. Verum oportet ex iis, quae mysteriis artis tragicae perfectio debere videtur, talia quoque afferre, quae ad externum rei theatralis habitum

tum cultumque pertinent. Nam quod Athenaeus narrat l. I. p. 21. *Αἰσχύλος ἐξεῦρε τὴν τῆς ϛολῆς εὐπρέπειαν καὶ σεμνότητα, ἣν ζηλώσαντες οἱ ἱεροφάνται καὶ δᾳδοῦχοι ἀμφιέννυνται,* Aeschylum pontificialia insignia histrionibus suis adaptasse dicens Lobeckius recte interpretatur: d. Myst. Praecept. I, 5. Deinde nescio, quid de peripetasmatum et cothurnorum usu scenico alii censeant; personas vero s. larvas antiquitus in sanctis illis ceremoniis usum habuisse, demonstrat Kreuzerus Symb. I, 134. II, 131. sq. Porro sancti illius ritus *δᾳδουχίας*, arcanis e penetralibus in scenam inducti unum praebet exemplum Aristophanes in Ran., alterum Aeschylus in Eumenidibus. Huc etiam *θεοφανίαι*, umbra Darii et Clytaemnestrae in scenam introducta, aliaeque res pertinent, quas commemorat Aeschyli vitae auctor. ap. Rob., et Aristophanes Ran. 961. cf. Burges. ad Eumenid. 96. In fabula Ranis denique Aristophanes mysticas saltationes, cantiones ritusque denotavit, versuumque, quibus mysticum agmen praecipue ad pontem Cephisium contendere cum spectatoribus profanis solebat, modum imitatione expressit, postremo omnia sic instituit, ut rei mysticae et scenicae rationes antiquitus vinculo quodam contineri compareret. Ibidem mystarum et tragicorum cantus Bacchus audit, horum pariter atque illorum praeses; atque qualis primum exotericus et esotericus ejus cultus, qualia e mysteriis tanquam profecta prima fuerint dramata, singulis in comoediae partibns et locis indicatur: ut Welckerus in Adnotat. ad Ran. censeat, hinc tragoediae historiam bene cognosci posse; neque errat fortase, qui quod Phrynichi monodiae mystico-

rum cantuum instar fuisse memorantur, quod Aeschylus Cereri Eleusiniae cum precibus sacrificans propositus, dieque χύτρων fabula docta est, aliaque hoc genus eo referat, ut quae inter rem mysticam et dramaticam intercesserit necessitas, intelligatur. Mysteria dramaticarum actionum prisca sua argumenta fere immutata retinuisse potest demonstari; attamen ne latius evagetur oratio, quam ipsa sit ars tragica evagata mox τὰ τοῦ Βάκχου πάθη fastidiens, de mythicis fabulis, quas constantem tragoediarum materiam Phrynichus et Aeschylus fecerunt, accuratius jam disserendum est, quo clarius omnem rem dramaticam Graecorum religionis fuisse appareat.

C A P. II.

DE MYTHICIS TRAGOEDIARUM DRAMATICARUM ARGUMENTIS.

Tragicorum aetate priorum dramatibus perditis Aeschylea magnum sane passa sunt damnum, neque levius detrimentum ipsae acceperunt graecae litterae multarum Aeschyli fabularum naufragio. Sed eam quidem temporum iniquitatem ex aequo accusant quicunque, quantum in Aeschyli ceterorumque fabulis explicandis ac judicandis superiorum scriptorum subsidio possit profici, satis intelligunt. Qui vero ex ipsa docta antiquitate Aeschylum illustraverint scriptores, eorum intercidisse commentarios, minus quam par est, dolemus: a quibus magnam in Aeschylum redundaturam fuisse utilitatem appareat. Atque Glaucus quidem et Chamaeleon de Aeschyli mythis commentati tum in tractandis iis singulari arte ac nova ratione poetam usum esse indicasse, tum illud docuisse videntur, ab Homeri et Hesiodi ratione discedens quomodo ille sordes fabularum absterserit, easque politioribus aetatis et philosophicis mentis suae rationibus accommodaverit: quae res ad nostram usque aetatem prope intacta mansit. Homerus enim et Hesiodus ut popularem concinnaverant mythologiam, omnique vi mystica et sym-

bolica exutam, ita Aeschylus quodammodo tragicam instituit, licet antiquas suas de diis, heroibus, regiarumque familiarum fortuna narrationes ex Homeri maxime, etiam Hesiodi poetarumque cyclicorum copiis eum sumsisse constet: ipse enim profitetur (Athen. Deipnos. VIII.) *τὰς αὐτοῦ τραγῳδίας τεμάχη εἶναι τῶν Ὁμήρου μεγάλων δείπνων*: cf. Aristoph. Ran. 1040. Neque mirum est, tragicae materiae partem majorem eum repetiisse ex Homero, quem Plato dicat *ποιητικώτατον εἶναι καὶ πρῶτον τῶν τραγῳδιοποιῶν* Resp. X, §. 607, cf. ibd. §. 595: *Ὅμηρος ἔοικε τῶν ἁπάντων τραγικῶν πρῶτος διδάσκαλός τε καὶ ἡγεμὼν γενέσθαι*; Theaet. §. 153. At Aristoteles: *Ὅμηρος τὰ σπουδαῖα μάλιϛα ποιητὴς ἦν· μόνος γὰρ οὐχ ὅτι εὖ, ἀλλ' ὅτι καὶ μιμήσεις δραματικὰς ἐποίησεν*, ait Poet. IV. atque Iliadem et Odysseam censet *ἀνάλογον ἔχειν πρὸς τὰς τραγῳδίας*. Exemplum, quod Aeschylus praeivit, Sophocles et Euripides secuti magis orationis Homericae solent imitatores deprehendi, v. Interpret. ad Soph. Aj. 485. Eurip. Phoenis. 119. Neque omnino satis jam aestimatum est, per omnem antiquitatem quanto polluerit momento augusta Homeri dignitas, neque unquam, quantum in omnibus scriptoribus ad Alexandrinae usque doctrinae tempora ex illo fonte perenni exhaustum lateat, eruetur. Repetamus vero oportet antiquitatis studia, si ad perfectae doctrinae laudem adspiramus, religiosius, quam fieri solet, ex Homero!

At primum omnium rogaveris, cur ex fabulis Aeschylus, Sophocles cet. confecerint tragoedias, qui si semel a Bacchicis discedendum esse duxerint, vel conficta argumenta, vel clarissimas sui temporis res ges-

tas majore cum fructu in hunc finem adhibere possent? Hujus quidem rei Aeschylus Persas conscribendo utique periculum fecit, magis vero, ut ajunt, Hieroni Syracusano gratificaturus, cui Atheniensium virtutem in bellis Persicis probatam laetis adumbratam coloribus proponeret, quam artis tragicae rationibus satisfacturus. His enim aestimari noluit Persas suos, quos non tragoediam sed drama potius heroicum haberi oportet. *) Phrynichi in iis exemplum imitando effinxisse traditur, cujus Persae, etiam Phoenissarum nomine inscripti, minus innotuerunt. Phrynichus idem *Μιλήτου ἅλωσιν* fecerat tragoediam, qua docta, etiamsi solius artis rationes spectamus, non est quod miremur, eum magnae mulctae mille drachm. condemnatum esse, vetitumque, ne quis in posterum id argumentum tractaret. Tragoedia enim in rerum praesentia adumbranda versans qui potest legibus suis satis respondere? Quas qui in tali argumento sequi voluerit, veritati rerum vel imprudens aliquid detrectare cogatur. Gravius etiam superstitiosi Athenienses id tulerunt, quippe quo festorum dierum, quibus docebantur fabulae, religionem violari existimarent. **) Deorum enim apud

*) cf. Aristoph. Ran. 1026, 27. Hermannus uberius de Persis disserens monogrammatis nomine insignivit. v. Schneider. Orig. Comoed. p. 108. Blomfield. Praefat. ad Pers. et Passqv. de iisdem.

**) Herodotus, qui L. VI, 21. rem refert, etiam Mileti Excidium drama tantum fuisse, auctoremque, ὡς ἀναμνήσαντα οἰκήϊα κακὰ multatum narrat. Et immodicam quidem misericordiam tristitiamque argumenti per se Atheniensibus non grati tractatione excitatam, quamvis plerique scriptores poenae

eos omnis erat res tragica: θεοῖσι καλὸν γέρας ap. Athen. D. p. 619. Dii eam ipsis tradiderant, diisque auctoribus eadem cepit incrementa, h. e. ad pristinum deorum, maxime Bacchi cultum originem et progressus rei dramaticae referendos esse videbant. Quae quanto colebantur intentius, tanto lautius ipsi colebantur dii. Constituerant quidem docendis tragoediis Dionysia magna, quibus fabulae novae, Dionysia rustica, quibus repetitae, atque Lenaea, quibus et novae et iteratae committebantur. Apparatui autem tragico, scenae exornandae, theatris exstruendis chorisque musicis instituendis quantum pecuniarum pondus Athenienses insumserint, fidem ejus superabit, cui haec voluptati tantum tribuisse videntur. Imo vera erga deos heroesque pietate compulsi et instituerunt haec, et sacrificia splendidissima adjunxerunt. Studiosius autem eos, quam par esset, nec sine vitio neglectis et posthabitis vitae negotiis cultum deorum observasse, ipsi testati sunt Graeci scriptores: Boeckh. Staatshaush. d. Athen. I. 325. Quanquam festi dies, uti apud nos non Deo tantum inserviunt celebrando, sed populo quoque erudiendo sensibusque religiosis implendo constituti sunt, ita Graecis quoque, scholarum praesertim, qua nos gaudemus, disciplina carentibus juventutis et plebis animos sapientiae praeceptis imbuendi et mores emendandi occasionem praebebant. Fabularum igitur, quae tum exhibebantur, si finem et usum spectas, cum sacris nostrae aetatis sermonibus

causam prodant, tamen alii propter alias quoque rationes auctorem displicuisse credunt: Schneider. l. l. VIII. A. W. v. Schlegel. l. dram. K. u. Litt. I. 118.

comparare possis; et religiosius illae quidem Homeri quam hi bibliorum sanctitate niti solebant. Vidit hoc et breviter tetigit summa Gesneri sagacitas, qui saepe quae gravissima sunt, quasi aliud agens et obiter docet. In isagoge in erud. univers. I, p. 153. de tragicis Graecorum disserens: „Hi, inquit, fuerunt Graeciae doctores communes, et praestiterunt, quod apud nos concionatores et ordo sacerdotum." Quod et ipsius antiquitatis judicium fuisse docent Plutarch. d. mus. 27. *Ἐπὶ μέντοι τῶν ἔτι ἀρχαιοτέρων οὐδ᾽ εἰδέναι φασὶ τοὺς Ἕλληνας τὴν θεατρικὴν μοῦσαν· ὅλην δ᾽ αὐτῆς τὴν ἐπιςήμην πρός τε θεῶν τιμὴν καὶ τὴν τῶν νέων παίδευσιν παραλαμβάνεσθαι κ. τ. λ.* (cf. Boeckh. Praefat. Schol. Pind. XXXII.); Athenaeus Deipns. VI. 222: *τοὺς γὰρ τραγῳδοὺς πρῶτον, εἰ βούλει, σκόπει. Ὡς ὠφελοῦσι πάντας* sq. Eodem tendit Plato Gorg. 124: *τί δὲ ἡ σεμνὴ αὕτη καὶ θαυμαςὴ ἡ τῆς τραγῳδίας ποίησις* cet. Rep. 11. III. passim. Svidas: *διδάςκαλοι.* Inprimis chori tragici erat, auditorum excolere animos, corrigere mores, deorumque praecipere reverentiam. Unaquaque Aeschyli certe et Sophoclis fabula hujusmodi aliquod spectatur perficiturque consilium, quod ex choricis cantibus omnique fabularum oeconomia cognoscitur. Ipsos vero tragoediarum antiquiores auctores pietate et probitate excelluisse antiqui testantur. Tragicae igitur poesi, philosophiae quippe ac religionis magistrae quod Graeci tantum tribuerint, non magis miremur, quam quod illius cultores talia tantum sumserint fabularum argumenta, quae ut ipsa illa poesis essent divina, tragica gravitate unice digna et aptissima poetico spiritui: Plat. Rep. X. 598, Leg. VII, 9.. Mythi enim, antiquissima huma-

ni ingenii poesis, quae de rerum natura, de numinum heroumque origine rebusque gestis cogitata erant ac narrata comprehendebant. Sunt ideo aut philosophemata, *) eaque maxime theologica, aut historiae initia. Originem vero fabularum si altius repetere volueris, in consuetudine pristinae aetatis sensa ac cogitata sua ante litteras inventas signis et imaginibus exprimendi quaeras: Clemens. Strom. V. pass. Quibus in formandis phantasiae vis animo religioso et menti curiosae adfuit quasi obstetrix parturientibus. Sacerdotes fabularum primi cultores cum iis non minus ad fortitudinem corroborandam pietatemque excitandam, quam ad alia publica pariter ac privata consilia perficienda uterentur, pro tempore et loco exornabant antiquas et comminiscebantur novas: quarum interior sensus populo solam rem et historiam retinente aut omnino ex animis effluxit, aut in mysteriorum scholarumque philosophicarum latuit penetralibus. Poetae vero fabularum vi et venustate allecti et inflammati poetico poeticam materiam ornatu induebant. Et primum quidem poetae epici quae de diis heroibusque a patribus tradita acceperant, arcanae, si qua erat, significationis **)

*) Hac voce de eadem re usus est primum Heynius, et recte, judicio Viri Cl. A. Matthiae in Comment.: de rat. tract. Gr. mythol.: cujus viri consensu nemo injuria gaudet iis in rebus, quae tanto studio, tamque vario sermonum et scriptorum genere nunc agitantur.

**) Pergit idem pag 8.: modo ne antiquos illos ea, quae excogitabant, certis ac definitis notionibus, ut nostri philosophi solent, circumscripsisse, sed hanc sapientiam sibi servasse, popularibus autem non nisi quaedam ejus involucra et quasi putamina tradidisse credas, quo factum sit, ut posteriores

aut ignari aut negligentes colligebant, expoliebant, augebant. Hinc mythica poeseos ratio et oratio profecta apud Graecos invaluit, ut omnes graeci scriptores fabulas necessario ad poesin requirerent, iisque destituta poemata omnino esse poemata negarent: Herm. ad Aristot. Poet. I, 2. Res venit ad lyricos poetas, qui ut illi historicas, maxime philosophicas fabulas tractandas sibi sumebant. Et de Baccho quidem fabulae tragicorum dithyramborum, a quibus ad tragoedias concinnandas sunt progressi, naturale fuere ornamentum: quod poetas posteriores mox sprevisse, supra est dictum. Postea cum praeceptis philosophicis fabulae inservire coepissent tradendis, eum in usum a poetis philosophicis, tum a tragicis diverso quidem modo vertebantur; et ab illis quidem de rerum natura disserentibus. Neque pedestris philosophorum oratio eas fastidiebat, et philosophorum subtilissimus ad eum cognitionum fontem omnino reducenda duxit studia philosophica. *) Tragici vero rem ita instituerunt, ut fabu-

---

haec involucra pro rebus ipsis arriperent, et propagarent, qui sensus sub iis abditus sit, nescientes. —

*) Egregie huc facit epistola Hamanni Herdero scripta (Haman. scripta ed. Fr. Roth. III. p. 332), cujus summam his apponendam duxi: *Θρασεῖα γὰρ οὖσα ἡ ἀνθρωπίνη ψυχὴ τὰ μὲν ἐν ποσὶν ἧσσον τιμᾷ, τοῦ δὲ ἀπόντος* (quae abstrusa) *θαυμαςικῶς ἔχει. Καταμαντευομένη δὲ τῶν οὐχ ὁρωμένων, καὶ θηρεύουσα ταῦτα τοῖς λογισμοῖς, μὴ τυχοῦσα μὲν σπεύδει ἀνευρεῖν, τυχοῦσα δὲ ἀγαπᾷ ὡς ἑαυτῆς ἔργον.* Qua re commoti poetae invenerunt *μηχανὴν ἐν τοῖς θείοις λόγοις, μύθους λόγων μὲν ἀφανεςέρους, αἰνίγματος δὲ διὰ μέσου ὄντας ἐπιςήμης πρὸς ἄγνοιαν κατὰ μὲν τὸ ἡδὺ πιςευομένους, κατὰ δὲ τὸ παράδοξον ἀπιςουμένους.* Redit oratio ad antiquam philosophiam superiora repetens: *Ἡ παλαιὰ φιλοσοφία καταθεμένη τὴν αὑτῆς γνώμην εἰς μύ-*

lam antiquam oculis subjicerent quasi imaginem perlustrandam, qua vel tristes animi affectus nimiaque cupiditatum vis, vel virtus animique robur clare et perfecte possent cognosci. Singulae igitur quae prodibant personae singularum imaginum instar formas certas et definitas ostentabant. Nam Aeschyli ac Sophoclis in mente insidebat species pulchritudinis illa, cujus ad similitudinem dirigebant artem. Perfectorum enim et excellentium ad speciem animorum cogitatione perceptam tales finxerunt formas, quales neque oculis neque auribus neque ullo sensu percipi possunt. Has ab iis artifices acceperunt formas, quas variis signorum generibus expresserunt: ut Aeschylum Phidias, Sophoclem Polycletus, Euripidem Lysippus viderentur imitati. Laocoontis, Niobes similiaque figurarum symplegmata mutas dixeris tragoedias. *) Haec

θους καὶ μέτρα καὶ σχῆμα ᾠδῆς, ἔλαθε τῇ περιβολῇ ψυχαγωγίας κεράσασα τὴν ἀηδίαν τῶν διδαγμάτων. Ad probandum poetarum et philosophorum consensum hoc apponitur exemplum: *ὧν ἂν μεταβολῆς τὰ ὀνόματα, εὑρήσεις τὴν ὁμοιότητα, καὶ γνωριεῖς τὸ διήγημα.* Quae antiqui Scholiastae, quem nescio an aliunde aegre arcessiveris, verba tecum duxi communicanda. Insunt enim, quae perpendantur dignissima: ut, quod *λόγοι* philosophiam, *μῦθοι* poesin significant; deinde ea quod *μηχανὴ ἐν τοῖς θείοις λόγοις* dicitur; ex oda denique derivaveris eam, si illam interpreteris *φιλοσοφίαν μουσικήν*: quamquam mihi *μῦθος*, fabula et inventio, ante *πάθος* atque sensuum sublimitatem antecedere videtur.

*) Nioben Aeschylus et Sophocles, Laocoontem solus Sophocles scripserant tragoedias. Et haec quidem dramata, quibus perfecte artificem poetae vestigiis insistentem cognosceremus, temporis injuria abstulit. Exstat vero opus caelatum antiquum in Museo Pio-Clement., quo, quam religiose artifex ad Aeschyli Orestiadem omnia effinxerit, docemur. Rem il-

est enim plastica illa, quam dicunt graecarum tragoediarum indoles ac praestantia. Formarum vero earum venustatem et dignitatem, qua poesis nos delectat, cum in rerum veritate et quotidiano vitae usu minus conspiciamus, quippe in quibus hominum nos saepe imbecillitas et pravitas offendat, tragici, ut ultimae et perfectae naturae exempla proponerent, non potuerunt, quin ex mythica aetate, ubi perfecta omnia ac divina, repeterent. Hinc ducta sua virtutum exemplaria ita exhibuerunt, ut intuentium animos ea virtutis admiratione implerent, ad eamque imitandam incenderent: quae flamma in egregiorum virorum pectore rerum gestarum memoria crescebat, neque prius sedabatur, quam ipsorum virtus ostentatam heroum virtutem adaequaverit. *) Deinde religiosum quasi

lustrat Heeren: Bibliothek d. alt. K. u. Litt, III. Simile exemplum laudat Uhdenius in Dissertat. Ueber d. Todtenk. d. Etrusk. in d. Abhandl. der Berl. Acad. 1816. p. 41; alia habet Mueller. Dor. II, 332. Propius ad nos adtinet accuratissima descriptio tabulae in templo Jovis Pelusiotae, qua Promethei liberationem pictor Evanthes expresserat in Achill. Tat. de Clit. et Leuc. III. p. 173. Eam tragoediarum cum pictis tabulis figurarumque complexionibus similitudinem Aristoteles Poet. VI. Plutarch, d. aud. Poet. celebrant; cf. Lessing. Laoc. et Schlegel l. l. dr. K. u. Litt. I. 126. Caelaturarum vero personas dixerim ut tragicas fati necessitate, ita materiae duritie constrictas teneri.

*) Haud dissimulant quidem tragici humanae naturae imbecillitatem, imo saepius de ea conqueruntur. At vero ita proposita sunt animorum perturbationes vitiaque, ut absit contemtus causa locusque misericordiae detur. Ipsa scelera in personis, quas finxerunt tragici, nescio quid divinum spirant, quia fere ex invidia deorum dicuntur profecta esse, aut ex parentum delictis orta: itaque poesi tanquam igni piacu-

pignus eae fabulae erant Graeciae a diis concessum sive palladium antiquitate sancitum. Deorum ipsorum historiam cum populo terraque conjunctissimam, et omnes patriae religionis origines rationesque continebant. Ab his ad emendanda sacra corruptae suae aetatis et restauranda pergendum Aeschylus cum aliis videbat; eas innumera locorum monumenta vocabant in memoriam ab antiquissimis jam celebratas scriptoribus.*)

---

lari purgabantur animae. Ad eas sententias fortasse dirigenda est interpretatio loci Aristot. Poet. VI. *Ἐςι τραγῳδία μίμησις πραξ. — δι᾽ ἐλέου καὶ φόβου περαίνουσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν.*

*) Prometh. 732. 837. 840. Quibus locis adjungens Phaedri Plat. locum §. 6 — 9. id maxime ago, ut verum Platonis de fabulis judicium cognoscatur, qui in libris de Rep. et mythologiae et dramaticae praecipue poeseos contemtor ac castigator acerbissimus esse fertur. Socratem hic, quid de fabulis censeret interrogatum facit respondentem: *ἀλλ᾽ εἰ ἀπιστοίην* cet., quae disputatio omnis eo redit, ut reverenda sit fabularum sanctitas, neve acuminis protervitate violanda. *Ἀγροίκῃ* dicit *σοφίαν*, i. e. artem illiberalem parumque ingenuam, quae sanctas ingenii simplicis cogitationes frivola interpretatione pervertat. Male utique cum his consentiunt, quae Plato habet Rep. II, 377 sq., quibus vehementer impugnat mythicae poeseos usum. At diversis eas vitae studiorumque temporibus, ac diversa persequens consilia proposuit de fabulis et poesi inprimis tragica diversas sententias. Juvenis enim mythologiae et poeseos summo ardebat studio, quas vir factus a civitate, quam finxerat soli rationi obtemperantem, abhorrere videbat (Cic. Tusc. II, 2.), perverse iis numinis donis abuti poetas satis expertus: ut non mythologiam aut poesin, quas ubique (in Phaedr. Jon. Lach. Protag. dialogis) reveretur divinas, sed perniciosum moribus earum abusum a civitate sua relegaret, sive potius severis legibus coerceret (Leg. VII, 816. Rep. II, 379); et fabulas quidem subtilioribus, quam quas tunc tem-

Heroum de patria meritorum grata iis colebatur memoria; perpetua Pelopidarum, Labdacidarum al. infortunia etiam sine ostentatione scenica non minus numinum ultricium terriculis terrebant, quam Thesei, Herculis aliorumque immortalitate donatorum merita omnis pietatis studium ultro excitabant. Quamobrem tanto amore fabulas tota fovebat Graecia, ut nihil ducerent prius et antiquius, quam teneris liberorum ingeniis eas tradere. Plato, *οὐ μανθάνεις*, inquit, *ὅτι πρῶτον τοῖς παιδίοις μύθους λέγομεν* cet., atque *τοὺς ἐγκριθέντας μύθους πείσομεν τὰς τροφούς τε καὶ μητέρας λέγειν τοῖς παισὶ, καὶ πλάττειν τὰς ψυχὰς αὐτῶν τοῖς μύθοις πολὺ μᾶλλον ἢ ταῖς χερσὶν* sq. Rep. II, §. 377. An mirum etiam putabimus, si his fabulis, quas cum lacte, ut ita dicam, sugebant, et audiendis Graeci per totam vitam vehementissime delectabantur, et adumbrandis poetae, maxime vero ipsius vitae imitatores tragici inter se certabant? Ipsi vero his aliisque commodis mythica dramatum argumenta novis et fictis praestare Graeciae poetae elocuti sunt. Nam (Athen. Deipns. VI, init.) Antiphanes in Poesi hoc modo scripsit:

— — Μακάριόν ἐστιν ἡ τραγῳδία
ποίημα κατὰ πάντ᾽· εἴγε πρῶτον οἱ λόγοι
ὑπὸ τῶν θεατῶν εἰσὶν ἐγνωρισμένοι,
πρὶν καί τιν᾽ εἰπεῖν, ὡς ὑπομνῆσαι μόνον

poris conoeperant poetae, submittens rationibus, tragica vero maxime Euripidis (Rep. VIII, 568.), Agathonis similiaque exprobrans exempla. Haec ita disputans, ut severa Platonis judicia insigni, qua florebat tragoedia apud Graecos auctoritati non officere, intelligatur, de ea re ampliora cognituros relego ad Morgenstern. D. Plat. Rep. Comt. III, 2, 12 et Epim. 2. Sulzer Theor. d. K. IV. 558. Boeckh. Trag. gr. §. XIV.

δεῖ τὸν ποιητήν. Οἰδίπουν γὰρ ἄν γε φῶ,
τὰ δ' ἄλλα πάντ' ἴσασιν — — —

Sed omnis ille locus considerandus est. Accedit, quod in ostentandis his fabulis ipsam graecae nationis et Athenarum maxime celebrationem tragici tanquam ultimum sibi finem proposuerant. Qui enim Atheniensibus invisi essent populi, eorum antiquam rationem cum invidia quadam descripserunt, Atheniensium pristinum statum summis efferentes laudibus. Quid enim? Sophocles cum Theseum, Athenarum conditorem, aequissimi et sapientissimi principis collaudet exemplum, Argivorum Creontem injustitiae atque ferae tyrannidis incuset, num id sine studio et ira putabimus factum esse? Quod patriae studium summa quamvis arte dissimulaverint tragici nescio an laudabili patriae caritate nequeat excusari. *) Eoque modo licet liberius in sancta mythicarum rerum sylva tragici versarentur, ut res novo ornatu induere, et ingeniosa adumbrare ratione summae artis ducerent **), tamen traditam fabularum rationem prorsus evertere et turbare nefas habebant. Sophocles quidem res varia immutatione diversis quae sequebatur consiliis ac-

*) Alia exstant exempla Aesch. Pers. 229 — 244. Eumenid. 675 — 696. Sophocl. Oed. Col. 668 — 720. Aj. 596. Eurip. maxime in Heracl. v. Boeckh. l. l. XIV. Referendum hoc ad arctissimam necessitatem, qua remp. graeca tragoedia attingebat. Quam a veteribus criticis jam indicatam Beckius, Boeckhius, Schlegelius uterque persecuti sunt, nuperrime illustravit Jacobus in Quaest. Sophocl.

**) Hinc Diphilus apud Athenaeum l. l.:

— — — τοῖς τραγῳδοῖς ἐξουσία
ἔστι λέγειν ἅπαντα καὶ ποιεῖν μόνοις.

commodare solebat: tamen in eo genere quam religiosus fuerit, testem habemus Athenaeum Deipnos. VII, 277. Ibi Sophoclem, qui in Ajace pisces ἔλλους appellaverit, vetustum poetam Gigantomachiae auctorem, qui primus ita locutus sit, imitatum esse Zoilus tradit; neque hoc mirum videri de Sophocle debere: ἔχαιρε γὰρ τῷ ἐπικῷ κύκλῳ, ὡς καὶ ὅλα δράματα ποιῆσαι κατακολουθῶν τῇ ἐν τούτῳ μυθοποιΐᾳ: quod ejus de Sophocle judicium pluribus confirmat J. Casaub. animadvs. ad C.IV. cf. Lobeck. ad Aj. 70. Et in Homero exprimendo Sophoclis religionem in ejus vita Scholiastes laudat: τὸ πᾶν οὖν Ὁμηρικῶς ὠνόμαζε, τοὺς δὲ μύθους φέρει κατ' ἴχνος τοῦ ποιητοῦ· τὴν Ὀδυσσείαν γὰρ ἐν πολλοῖς δράμασιν ἀπογράφεται. Euripides vero in fabulis tractandis ab justa Sophoclis via paululum declinans magis ingenio suo indulget, et Anaxagorae Sophistarumque nimio fertur studio. Aeschylus vero, quem peculiari his in rebus ratione versatum esse jam antiqui scriptores significant, ultra illos, qui popularem hanc religionem condidisse traduntur, Homerum et Hesiodum sapuit. Eorum enim rationes non modo limat ubique et castigat, sed aperte impugnat hic illic eam vulgi religionem: quod Promethei exemplo demonstrabitur. Qua de fabula jam antiquissimus vitae Aeschyleae scriptor multa annotavit memorabilia. Locum etiam aliis, quas continet, rebus gravissimum transcribam fere integrum, ut, quo tendat omnis nostra disputatio, magis compareat: *Ταύτῃ καὶ ἄριςα εἰς τραγῳδίαν Αἰσχύλος κρίνεται, ὅτι εἰςάγει πρόσωπα μεγάλα καὶ ἀξιόχρεα. Καί τινες ἤδη τῶν τραγῳδιῶν διὰ μόνων οἰκονομοῦνται θεῶν, καθάπερ οἱ Προμη-*

θεῖς. Τὰ γὰρ δράματα συμπληροῦσιν οἱ πρεσβύτατοι τῶν θεῶν, καὶ ἔστι τὰ ἀπὸ τῆς σκηνῆς καὶ τῆς ὀρχήσεως θεῖα πάντα τὰ πρόσωπα. Τῶν ποιημάτων ἃ μέν ἐστι διεξοδικὰ καὶ διηγηματικὰ, καὶ ἐπαγγελτικὰ, ἃ δὲ δραματικὰ καὶ μιμητικά, ἃ δὲ ἐξ ἀμφοῖν· ἃ δὲ μόνον δραματικὰ αὐτίκα ἐνεργεῖ καὶ λέγει ἅμα τὰ πρόσωπα, καὶ αὐτὸ τὸ κῦδος ἔχει. Διὰ τοῦτο αἱ τῶν δραμάτων ἐπιγραφαὶ προσγράφονται τοῦ ποιητοῦ Νιόβη Ὁμήρου, Αἰσχύλου ἐν Ἰλίοις· μικταὶ γάρ εἰσιν αἱ ποιήσεις αὐτῶν. Χορὸς δὲ τῶν τραγῳδῶν συνίσταται ἐξ ιδ' ἀνδρῶν, ὁ δὲ τῶν κωμῳδωποιῶν ἐκ κδ'. Σημειωτέον, ὅτι δράματα ὁ ἐποίησεν ὁ Αἰσχύλος. Ἡ τραγῳδία δὲ ἐξ ἀρχῆς ἐν Ἀθήναις εὑρέθη, καὶ ἐκεῖσε ἤνθησεν, ἔνθα καὶ Αἰσχύλος Ἀθηναῖος ἦν καὶ τραγῳδὸς ἄριστος, τῇ τραγῳδίᾳ ὑπερβάλλων πάντας ποιητάς. Τέσσαρα δέ εἰσι τὰ συνιστῶντα τὴν ποίησιν, μέτρον ἡρωϊκον, μῦθος ἀλληγορικός,*) ἱστορία παλαιὰ, καὶ ποία λέξις, ὧν χωρὶς ἐποποιοὶ λέγονται. Ἀνθρώπους ὑποκριτὰς εἰσῆγεν ὑποκρινομένους πρόσωπα τοῦ τε Κράτους καὶ τῆς Βίας, καὶ εἰσήρχοντο εἰς τὸ μέσον καὶ ἐτραγῴδουν ἀποστηθίζοντες δράματα, οὓς καὶ τὸ κοινὸν ἔτρεφεν.

*) V. F. Tzetzes: Exeges. Il. p. 29. Schol. in Hesiod. p. 11. Blomf. Eustath. ad Hom. p. 5.

C A P. III.

AGATHONIS ANTHOS. SUPERSTITUM TRAGOEDIARUM ARGUMENTA.

Oportet vero, de Agathone, qui a tragicorum consuetudine μυθικὰς διαθέσεις proponendi deflexus novam inveniendi argumenti viam iniisse traditur, prius videamus. Consulendus est Aristoteles, qui ubi traditione accepta argumenta tragoediae, ingenio vero conficta comoediae esse solere dixit, ita pergit: οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἐν ταῖς τραγῳδίαις ἐνίαις μὲν ἓν ἢ δύο τῶν γνωρίμων ἐςὶν ὀνομάτων, τὰ δὲ ἄλλα πεποιημένα· ἐν ἐνίαις δὲ οὐδέν· οἷον ἐν τῷ Ἀγάθωνος Ἄνθει· ὁμοίως γὰρ ἐν τούτῳ τά τε πράγματα καὶ τὰ ὀνόματα πεποίηται, καὶ οὐδὲν ἧττον εὐφραίνει· ὥς᾽ οὐ πάντως εἶναι ζητητέον τῶν παραδεδομένων μύθων, περὶ οὓς αἱ τραγῳδίαι εἰσὶν, ἀντέχεσθαι. Poet. IX. Is igitur probat nova tragoediarum argumenta, et exemplum laudat, quod praeiverit Agathon in fabula, cui nomen Ἄνθος. Qua voce, quamvis omnes consentiant, significari florem, non omnino liquet, cum Anthus et Anthes antiquarum fabularum sint heroes, ac cognominis tragoediae protagonistes alteruter fuisse videatur. Neque Aristotelis verba impediunt, quominus ita statuamus, si quidem Ἄνθει mutari licet in Ἄνθῃ aut in Ἄνθῳ. Argumentum, inquit, non ex iis

[3]

est, in quibus tragoediae versari, sive, quae a tragicis tractari solent. Sed hac observatione etiam missa cur novum is argumentum primus tractaverit, ex ipsa Agathonis indole ac natura facile intelligitur. Nam Aristophanes, Plato, Athenaeus, Stobaeus aliique ejus mentionem inferentes voluptati eum et luxuriae summopere indulsisse tradunt. Voluptatis excitandae studio ductus eas composuit fabulas, quae delectarent animos et exhilararent. Ejusmodi hilarotragoedias, qualis illa fuisse videtur, et Agathoni nomen comici conciliasse et recentiori comoediae viam munivisse manifestum est. Hinc profectum est paradoxon, quod Socrates in Plat. Symp. Agathoni et Aristophani probare vult: τὸν τέχνῃ τραγῳδοποιὸν ὄντα, καὶ κωμῳδοποιὸν εἶναι. Jam enim hac Atticae culturae et disciplinae aetate cum succus ille et sanguis vere tragicus, cui naturalis inerat non fucatus nitor, corrumpi coeptus esset, tragoedia desiit morum religionisque esse magistra, ac voluptatis ministra, nisi qualia hodie etiam proferri videmus, ficta voluptatis causa argumenta non proponebat. Ita tulit tempus. Aristoteles igitur mutata tempora respiciens, τὸ εὐφραίνειν summum jam tragoediis spectandum ponit, ideoque his populi commodis egregie inservientem collaudat Agathonem cf. Poet. XVIII. Mor. VI. 244. Plut. Symp. III. 3. φιλοπλ. fin. Primus enim Chromaticum musices genus et ἐμβόλιμα immiscuit; idem jactabat ἰσόκωλα et ἀντίθετα Athen. deipn. V. 2. cet. Quod eius studium veteris disciplinae defensores acerbissime reprehendunt et Plato in Symposio, ubi κωμῳδοτραγῳδὸς ille optime cognoscitur (cf. Praefat. Wolf XLV. Bentl. d. Ep.

Eurip. 2.), et Aristophanes, qui cum ejus effoeminatam mentem artemque irrit. Thesmoph. Ran. 84. al., tum omne aequalium tragoedorum genus degener Ran. 90. sq. perstringit. Verum digniores nomine et laude tragici in mythicis argumentis egregie ab arte et utilitate tractandis gloriam quaerebant, ejusque gloriae maximum inter ipsos certamen erat. Horum quidem argumentorum grandem copiam affert Lucianus de Saltat; tragoediarum vero, quae aetatem ferunt, si actionis propositae tempus spectas, Prometheus in antiquissima tempora incidit. Centum fere post annis Danaides virgines Aegypti filiis nubere recusantes Argos coufugiunt, itaque ab illis liberantur: Aesch. Supplicibus. Rursus centum post annis Ion, Apollinis ex Creusa filius, Antho primum, deinde etiam Creusae ejus uxori, cum liberis carerent, oraculo adtribuitur: Eurip. Ione. Non longo post tempore, Pentheo a Bacchis discerpto, Cadmus abigitur in anguem commutandus: Eurip. Bacchis. Tunc etiam Medea interempta pellice, Aegeo, regi Athenarum, nupsit: Eurip. Medea. Regnante ejus filio Theseo, Hippolytus a Phaedra mortua accusatus periit: Eurip. Hyppolyto. Cum Theseo floruit Hercules, de quo haec traduntur: Alcestin primum, Admeti uxorem, resuscitat: Eurip. Alcestide; deinde occisis per furorem filiis Athenas a Theseo deducitur: Idem Hercule furente. Denique induta Nessi tunica moritur: Sophocles Trachiniis. Sed ut ad Theseum revertamur, regnante eo etiam bellum Thebanum commissum est. Atque Oedipus, agnitis facinoribus suis, ipse se excoecaverat: Sophocl. Oedipo Rege. Tum fratres duo Polynices et Eteo-

cles mutuis pereunt caedibus: Aesch. Septem adv. Thebas. Sub hoc tempus Oedipus Athenas profectus, audito filiorum contentione, moritur: Sophocl. Oedipo Colon.; quanquam apud Euripidem occisis demum fratribus Oedipus ex urbe ejicitur: Eurip. Phoenissis. Mox Antigone, sepulto contra edictum fratre Polynice viva defoditur, mortuis insuper Haemone et Eurydice: Sophocl. Antigone. Tum etiam Argivae matronae Athenas profectae a Theseo impetrant, ut Creontem cogat Argivis sepulturam permittere: Eurip. Supplicibus. Paulo post bellum Trojanum exarsit, solutis e Graecia navibus mille ducentis. Ac primum quidem Iphigenia in itinere a Graecis mactanda evanescit: Eurip. Iphig. Aulid. Decimo deinde oppugnationis anno Rhesus occiditur, abductis equis: Eurip. Rheso. Mortuo Achille Ajax de armis iratus manus infert sibi: Sophocl. Ajace. Tum Philoctetes a Lemno ad Trojam abducitur: Idem Philoctete. Post captam Trojam, occiso Astyanacte et captivis mulieribus distributis, naves solvunt Graeci: Eurip. Troadibus. Mox etiam Hecuba post immolatam Polyxenam Polymnestorem egregie ulciscitur: Eurip. Hecuba. Ulysses, in itinere Polyphemo excoecato, navi pergit una cum Sileno: Eurip. Cyclope, satyrico dramate. Sub hoc fere tempus Heraclidae, adjuti ab Atheniensibus, Eurystheum in proelio capiunt et occidunt: Idem Heraclidis. Agamemnon autem domum reversus ab uxore jugulatur: Aesch. Agamemnone. Orestes vicissim matrem et vitricum occidit: Aesch. Choephoris, Sophocl. Electra. Idem occisis iisdem Athenas proficiscitur: Eurip. Electra. Sed in Oreste ejusdem ab Argivis

idem condemnatus Athenas petit. Athenis denique reus absolvitur Orestes: Aesch. Eumenidibus. Andromacham deinde liberante Peleo, Orestes, occiso Pyrrho, Hermionen ducit: Eurip. Andromacha. Mox etiam Iphigeniam sororem in patriam reducit: Eurip. Iphigenia Taur. Helenam quoque Menelaus ex Aegypto recuperat: Idem Helena.*) — Igitur haud mediocrem argumentorum, quae a tragicis tractata habemus, vides silvam! Atque quamvis longe majorem dramatum graecorum partem intercidisse vix satis doleas, tamen singulari sane felicitate nobis contigit, ut trium in arte tragica principum et praestantissimae quaeque, et tres, quibus eandem exhibuerunt rem, temporum iniquitati subreptae aetatem ferant fabulae. Nam Aeschyli Choephori, Sophoclis et Euripidis Electra ut legenti et comparanti voluptatem praebent haud exiguam, ita examinanti ingenii auctoribus proprii cognoscendi copiam faciunt, et, ab Aeschylo patriae religionis, a Sophocle artis scenicae rationes, ab Euripide auditorum voluptatem in concinnandis fabulis potissimum spectatas esse ostendunt. Ejusdem fabulae autem non modo apud alium alia, sed etiam apud

*) Cf. G. Canteri Nov. Lection. l. 4.; ibidem haec leguntur:

Aeschyli tragoediarum septem argumenta:
Praecipit Ionis vaga fixus castra Prometheus.
Oedipodae fratres alterno vulnere sidunt.
Victus rura fugit, tumidus rex dorica Xerxes.
Uxoris perit Atrides technis Agamemnon.
Aegysthum matremque simul necat unus Orestes.
Insontem laetus judex absolvit Orestem.
Belides Argivam implorant cum numine dextram.

Euripidem ipsum in Oreste alia atque in Electra cernitur oeconomia. Fabularum vero, ut aliae Athenis, aliae Thebis et Argis sedem habent, ita pleraeque ad Thebanum et Trojanum bellum redeunt. Antiquitatem etiam in remotiorem cum regressa sit Aeschyli ars, quomodo singuli in tractandis rebus singulis versati sint disserturos non solum ab eo graecae tragoediae patre disputationem repetere oportet, verum adeo, cujus fabula tempora antiquissima adtingat, a Prometheo; ejusque disputationis fere caput est, ut quam fabulosé narratam acceperit poeta aliquam historiam, ac qualem ipse eam exhibuerit, excutiatur.

CAP. IV.

DE PROMETHEO IN FABULIS.

Promethei fabula tantis tenebris obducta, tantisque involucris impedita est, ut satis eam extricare et liquidam facere tantum non desperem. Verum in rebus tam antiquis si, quae similia veri sint, pro veris accipiam, veniam impetrabo. Et ab natali fabulae solo cum quaestionem proficisci oporteat: Homerus frustra dux viae adsciscitur: coecutit enim, quamquam non genita coecitate. Primi fortasse Homeridae Prometheum versibus dignum et aptum esse viderunt: nam Hesiodi aetate ea fabula plane Graeca jam facta erat. A Cyclicis deinde poetis eum etiam magis turbata esset (v. Casaub. ad Athen. VII. IV.), difficillimum nobis est demonstratu, utrum Promethei notio proprie primumque in Asia, an in Graecia sit nata. Ad Asiam enim multis fabulae vestigiis exploratoris oculi convertuntur. Sed quia fere idem est apud omnes populos pari saltem coelo ac natura utentes eruditionis et culturae progressus: totius antiquitatis mythologia communi eoque arctissimo continetur vinculo; atque ii, qui ex Asia, terra scilicet ipsis ex omnibus partibus explorata, jactent profecta, quaecunque

bona Graecia viderit egregia ac splendida mentis documenta, erroris in dies magis convincuntur.*) Rerum enim et nominum similitudo ignis fatui instar fallacissima errorum procreatrix iis est, quibus non liquet, mutari quidem posse per advenas, si quos venisse probaverint, omnino novum et alienum indigenis non posse inculcari comprehensionum et cognitionum systema. Igitur sinceri et integri ab illa quidem sententia, qua Asiam Graecae conditionis fontem esse universalem statuunt, et, Promethei formam posse pariter ab Asiatico ac Graeco ingenio etsi diverse conceptam esse rati, quo plura et certiora ducant vestigia videamus. Herodotus primum IV. 45. haec dicit: *ἡ Ἀσίη (ἔχειν λέγεται) ἐπὶ τῆς Προμηθέος γυναικὸς τὴν ἐπωνυμίην* cet. Idem vero, teste Eudocia in *Ἰωνίᾳ* p. 346. „Prometheum Scytharum regem fuisse prodit, quem cum subditis victum praebere non posset, propterea quod *Αἰετὸς* fluvius agros inundaret, Scythae in vincula conjecerunt; Herculem fluvium in mare deduxisse, unde recisae aquilae orta sit fabula, et Prometheum vinculis liberasse." Accedit, quod quas Prometheus perpetitur miseriarum campus Asia fuisse perhibetur. Postremo quae in Asiatica doctrina graeci Promethei vim ac formam referunt, congessit, (ad quem infra recurram) Ritterus (Vorh. Europ. Völk. Gesch. V. 2. 5.) et Buttmannus: Ueber die beid. erst. Mythen: Berliner Monatschr. 1808. Huc et illud pertinet quod ex luto etiam a Persis credi primum ho-

*) „*λανθάνουσι δὲ αὐτοὺς τὰ τῶν Ἑλλήνων κατορθώματα βαρβάροις προσάπτοντες.*" Diog. L.

minem fictum esse narrat Svidas v. Προμ.; quanquam iis de rebus quam incerta ac vaga proferri possint judicia, inde jam intelligitur, quod Augustinus de Civ. D. XVIII. 8. dicit: „Regnantibus regibus Saphro Assyriis, Ortopolo Sicyoniis, Chryaso Argivis, quo tempore natus Moses, creditur a quibusdam fuisse Prometheus, quem propterea ferunt de luto formasse homines, quia optimus sapientiae doctor fuisse perhibetur." Prometheum porro dici Aegyptium et Atlantis astrologi filium, propter Aegyptiarum et Asiaticarum de rebus mythicis opinionum affinitatem nemo miratur. Jamque Graecorum de Prometheo exponam narrationes. In his illud observatur commune, quod Promethei numen proditur multo antiquissimum. Et vetustas ejus originis primum probatur traditione antiquissima, eum Iapeti filium, Coeli et Terrae nepotem fuisse. De matre quidem, quam Apollod. I. 1, 3. Asiam, Aeschylus Themidem sive Terram, Hesiodus Clymenen fecit, atque de uxore, quam Aeschylus nominat Hesionen, alii aliter statuunt. Schol. Pind. Olymp. IX. 68. *Ἰαπετοῦ γὰρ παῖδες Προμηθεὺς καὶ Ἐπιμηθεὺς, δύο ἀδελφοὶ, καὶ ἐκ μὲν Προμηθέως καὶ Κλυμένης Ἕλλην, ἀφ' ὅυ καὶ Ἕλληνες καὶ Δευκαλίων.* Cf. Pyth. IV, 110; Schol. ad Apoll. Rhod. III, 1086. Aliam originem docet Schol. ad Hom. Il. XIV. 295. (ubi: *Ἥρη ὅτι πρῶτόν περ ἐμισγέθην φιλότητι*) *ἐξ Εὐρυμέδοντος, ἑνὸς τῶν Τιτάνων, ἔτεκεν ἡ Ἥρα τὸν Προμηθέα παρθένιον· γνοὺς δὲ ὁ Ζεὺς τὸν μὲν Εὐρυμέδοντα ἐταρτάρωσε· τὸν Προμηθέα δὲ ὕστερον προφάσει τοῦ πυρὸς ἐν Καυκάσῳ ἀνασκολοπίσας προσεπαττάλευσεν.* Sed in Hesiodo et antiquiore et uberiore fabularum fonte

subsistam, cujus de Prometheo narratio haec est: „Prometheus Iapeti et Clymenes, Oceanitidis, filius, malis artibus insignis, Iovem in convivio sacrificii carnem distribuens fallere studuit, ignemque, qua humanae audaciae causa Iupiter privaverat homines, coelo subductum iis reddidit. Quare iratus Iupiter saxo eum alligavit, eique aquilam hepar immortale comedentem immisit, quam postea Hercules occidit. Theog. 307 sq. Qua cum narratione si contuleris alteram, quamvis haud dubie spuriam ibd. 521; et *Ἐργ.* 59 sq., cognosces, antiquae fabulae simplicitatem in Hesiodo desiderari. Eam enim variis poetae turbarunt commentis. Idem Prometheus perhibetur homines ex luto et aqua finxisse, Apoll. I. 7. 1. Ovid. Metam. I. 82, alibi; deinde Minervae castitatem tentasse Schol. Apollon. II. 1253: quae propter facinora saxo affixum, atque excruciatum eum esse tradunt. Miseriarum vero neque in loco, quem plurimi Caucasum, alii Paropamisum (Diod. XVIII. Strab. XV. p. 688.) fuisse volunt, neque in genere consentiunt, neque in ratione, qua iis liberatus sit, Apoll. I. 5, 4. Eas quidem res, cum exigui sint momenti, in medio jam relinquamus. Pristinum autem cultum, quo Prometheum in Graecia floruisse negant criticorum recentiorum nonnulli, omnium maxime testatur locus Sophoclis Oed. Col. 54.

Χῶρος μὲν ἱερὸς πᾶς ὅδ' ἐςι· ἔχει δέ νιν
σεμνὸς Ποσειδῶν· ἐν δ' ὁ πυρφόρος θεὸς
Τιτὰν Προμηθεύς·

atque Schol. ad h. l. *Συντιμᾶται δὲ καὶ ἐν Ἀκαδεμίᾳ τῇ Ἀθηνᾷ, καθάπερ ὁ Ἥφαιςος, καὶ ἐςὶν αὐτῷ παλαιὸν ἵδρυμα, καὶ ναὸς ἐν τῷ τεμένει τῆς θεοῦ. δείκνυται δὲ καὶ*

βάσις ἀρχαία κατὰ τὴν εἴσοδον, ἐν ᾗ τοῦ τε Προμηθέως ἐςὶ τύπος καὶ τοῦ Ἡφαίςου· πεποίηται δὲ, ὡς καὶ Λυσιμαχίδης φησὶν, ὁ μὲν Προμηθεὺς πρῶτος καὶ πρεσβύτερος ἐν δεξιᾷ σκῆπτρον *) ἔχων, ὁ δὲ Ἥφαιςος νέος καὶ δεύτερος· καὶ βωμὸς ἀμφοῖν κοινός ἐςιν ἐν τῇ βάσει ἀποτετυπωμένος, neque minus Aeschyleae vitae scriptor, quem laudavi Cap. II. fin. His testimoniis ceterisque, quae gravissima affert Hemsterh. ad Luc. Tom. I. p. 196. ed. Reitz., id quidem comprobatur, priorum Graecorum certe gentem quandam palam, posterioris vero aetatis viros inter arcanarum disciplinarum parietes Promethei numen cultu divino dignatos esse. Verum de Prometheae fabulae patria ex his nihildum certo statui licet. Aristoteles autem, ubi de mythicis mimeticae poeseos argumentis disputat (Poët. VIII), χρὴ, inquit, καθάπερ ἐν ταῖς ἄλλαις μιμητικαῖς ἡ μία μίμησις ἑνός ἐςιν, οὕτω καὶ τὸν μῦθον, ἐπεὶ πράξεως μίμησίς ἐςι, μιᾶς τε εἶναι καὶ ταύτης ὅλης, καὶ τὰ μέρη συνεςάναι τῶν πραγμάτων οὕτως, ὥςε μετατιθεμένου τινὸς μέρους ἢ ἀφαιρουμένου διαφέρεσθαι καὶ κινεῖσθαι τὸ ὅλον." Igitur ex diversarum de Prometheo narrationum mole quomodo unum ac qualem Aeschylus composuerit Prometheum, videamus. De origine quidem Promethei antiquam famam ita Aeschylus secutus est, ut Iove eum antiquiorem deum fuisse ratus Terram diceret matrem, patre non nominato. Prometheus, ut est apud eum, quo tempore de principatu inter deos pugnabatur, cum Tita-

*) Hoc non sceptrum sed facem fuisse, quoniam Prometheus δᾳδοῦχος semper fictus sit, Reisigius censet ad Soph. Col. Oed. 55.

nes sua consilia sapientissima spernere intelligeret, ad adversarios transiit, Iovemque in nanciscendo imperio strenue adjuvit. Potitus imperio Iupiter humanum genus exstinguere statuit. At Prometheus misericordia ductus hominibus et ignem coelo subductum praebuit, et variis artibus atque omnis generis scientia traditis miserrimam vitam sublevavit. Facinoris ob audaciam iratus Iupiter suaeque ipsius saluti timens Prometheum Scythico saxo jussit alligari. Ubi nihil e fastidio remittens, instantemque Iovis ruinam praedicans terrae motu in Orcum Prometheus est dejectus. Itaque cum multas alias res, tum, quam Sicyonii commenti sunt, fraudem istam in distribuendis carnibus commissam Aeschylus ignorat:*) ut integriorem fabulae simplicitatem hinc cognoscamus. Iamque congestis iis de Prometheo doctae antiquitatis indiciis ac testimoniis, facilius absolvi potest quaestio, quae est de historica et philosophica ejus vi et significatione. Etenim cum sint, qui rem vere factam uniuscujusque fabulae fontem esse statuant, probabile quidem est, advenisse in Graeciam antiquissima aetate, qui ignis metallorumque varios usus multasque artes gentem rudem doceret; eum vel ipsum, vel potius, quem alium suae ipse scientiae auctorem celebrasset, in Graecia valde inclaruisse, et propter merita probatamque ingenii industriaeque vim singularem Promethei nomine deum creditum esse, postea vero cum deorum tum

*) Si λεωργὸς appellatur ab Aeschylo V, 5, hoc vocabulum minime ad homines ex luto fictos referendum, sed Hesychio ac Svida testibus significat πανοῦργον, πάντολμον licet adversante Etymol. M. auctore.

aliorum, tum Lemnii Vulcani auctoritas invaluisset, cultu publico caruisse. Danda est enim haec venia Graecae antiquitati, quod miscendo humana divinis primordia rerum omnium augustiora fecerit; etiam pietatis est, quaecunque videntur egregia, ad deos referre auctores. Communi vero omnis antiquitatis consensu primis operum fabrilium auctoribus summus honos concedebatur. Eam propter artem Telchines, Corybantes, Curetes aliique magnam nominis gloriam adepti sunt. *) Galli rei metallicae auctorem summo prae omnibus diis prosequebantur honore, teste J. Caesare. In sacris litteris ea laude gaudet Thubalcain, et omnium deorum Aegyptiorum summus Phthas Graecorum Prometheum refert, cf. Cic. N. D. III. 22. Pertinet hoc quidem ad commune vinculum, quo omnium populorum cogitationes et rationes continentur: quam rem egregie explicuit Herm. epist. mythol. p. 7., simulque hoc certissimo argumento confirmatur, veteres populos satis intellexisse, quantam vim in sublevandam et expoliendam hominum vitam et conditionem habuisset inventus metallorum usus. Artium enim fere omnium is parens est, et rectissime vitae vere humanae cultaeque genitor Vulcanus dicitur, Hymn. Hom. XVIII. Neque nos debet fugere, quam multa hujus rei in Promethei fabula insint indicia, praecipue apud Aeschylum. Vulcanus enim Promethei vocatur συγγε-

*) „Remarquables par leur force les Corybantes s'exercèrent d'abord aux travaux de la métallurgie. Ovid (Fast. IV. 209.) les représente occupés avec les Curètes à fabriquer des armes défensives." Saint-Croix, Myster. I. 79 et 97. Inprimis conferas Lobeckium in Commentat: de Idaeis Dactylis.

Tali igitur modo ab historico Graecorum Prometheo distingui possit philosophicus. Verum cum Asiaticam Promethei formam describere atque accurate, quomodo a Graeca differat, definire voluerimus, multis difficultatibus impedimur, quia omni diversitate jam antiquitus neglecta, unus factus est Graecus cum Asiatico, unumque ad eum omnia relata sunt diversorum ingeniorum commenta. Quod quomodo et aliis personis mythicis acciderit, viri docti solent sagaciter demonstrare. Quorum cum nonnulli in decernendis iis personarum diversitatibus modum excesserint, in societatem venire mihi non videor, quoniam cum in aliis rebus contrariae de Prometheo narrationes aliter conciliari non possunt, tum parentibus suis, quos Graeci scriptores nominant, Prometheus ipse multo est antiquior, multaque ejus temere facta a natura ejusdem ac προμηθείᾳ, quam omnes ei adtribuunt, ita abhorrent, ut diversos distinguendi necessitas luce fiat clarior. *) Quanquam nomen Promethei non omnino nos cogit, ut sola ea, quae recti consilii et prudentiae sunt, ei adjudicemus, cum antiquiore aetate neque notiones

*) Garbitius tres distinguit Prometheos: unum ςοιχειακὸν et primaevum ex providentia divina et vi coelestium corporum ducentem originem, ex Iapeto natum et Themide; alterum ψυχικὸν, qui est in animis hominum, et ipsa mens et πρόνοια humana, ex Iapeto et Clymene, quia producitur et fovetur a celebritate famae et nominis; tertium πρακτικὸν, cui inventio et elaboratio variarum artium inscribitur, ex eodem patre, matre Asia, quia ex taedio veterum fertur ad nova et grata cogitanda." In his mirum est, quomodo consentiat cum Olympiodoro, quem primum edidit Stallbaum. ad Plat. Phileb. p. 246.

tiones neque nomina singularum virtutum satis definita et circumscripta essent: ut prudentiae atque astutiae notio apud Homerum adhuc et Hesiodum soleat eodem nomine significari. Sed de nomine, quod haud dubie re significata multo posterius est, cum quaestio prorsus omittenda, et de ipsa re fabulaeque sede Asiatica disputandum sit: viri doctissimi quidam, imprimis Heerenius (Ueber d. Hand. d. alt. W. I.), et Ritterus (Geographie der alt. W. et, Vorhalle Europ. Völk. G.) de Caucaseis regionibus ita scripserunt, ut hanc Promethei et Deucalionis patriam esse, dubitari vix queat. In Caucaso enim et circa septentrionalem Pontum cum Ignis numine una artium litterarumque inventio antiquitus celebrata, ibi aerariae, ibique sanctae doctaeque antiquitatis multa monumenta reperta, coloniaeque inde deductae sunt: cf. Ritter. Vorh. V, 4. Quamobrem vehementer errare mihi haudquaquam videor, qui censeo, Prometheum in hac patria Ignis numen simulque artium inventorem vitaeque humanioris auctorem fuisse; deinde, ejus in animis antiquitus expressam et comprehensam speciem una cum rei metallicae variarumque artium cognitione Deucalionem aut alium quem cum colonis Asiaticis profectum in Graeciam transtulisse; tum, rem eam simplicem apud Graecos ingeniorum poeticorum vel philosophicorum ubertate in istum abiisse fabellarum rivum et prorsus Graecam esse factam. Et Thessaliam quidem novos hos incolos, Hellenicae gentis parentes incoluisse, multis ex locis colligitur: Hom. Il. II. 683 sq. XVI. 595. cll. Eustath. et Heyn. ad. h.

l., Strab. VIII, 383. Pausan. III, 20. VII, 1. *) Sin vero quaesiveris, cur potissimum patriam reliquerint, propter ipsam religionem familia sacerdotalis emigrationis videtur auctor fuisse. Et profecto felicius hic eam divinae particulam aurae familia sibi servavit. Nam antiqui Graeci quamquam more suo omnes religiones et fabulas libenter recipiebant, suisque immiscebant; tamen ad Homerum usque hoc mentis placitum, sublimius et arcanum multis visum, singularum potius tribuum mansit tanquam mysterium et palladium.**) Atque postea quum laetioribus fabulis et serioris poeseos figmentis satis jam esset commixtum: tamen philosophorum et mysticorum scholis sua auctoritate polluit: v. Schol. et Interpr. ad Plat. Phileb. §. 18.

*) Hinc fortasse factum est, ut Aeschylus diceret, homines ante Prometheum vixisse *ὡς μύρμηκες*, sequens scilicet priscam fabulam, Myrmidones s. primos Hellenes, Phthiam habitantes, *ἐκ μυρμήκων* exortos esse: Dissen. ad Pind. Nem. V, 10. Apertius eo spectat Phthiotica illa narratio de Thetidis cum Jove connubio. Deucalionis vero fabula v. 332, et alibi commemoratur. Etiam Promethei inventorum expositio, inprimis v. 463 sq. ad Thessaliam nos dueunt: cll. Casaub. ad Athen. I, 14. XV, 6. ut subeat opinari, Prometheo V. antecessisse drama Phthiotici argumentis, *Φθιώτιδες*: Arist. Poet. XVIII, 4.

**) Omnino, Thessalorum instituta, quorum ipsi tenacissimi fuerint, serius demum innotuisse, constat.

C A P. V.

AESCHYLUS PYTHAGOREUS ET MYSTICUS.

Iam vero ut ad mythicas Promethei tenebras, quas jam tractavi, dimovendas Aeschyleus Prometheus laetam afferebat lucem; ita ex illustrata atque examinata hujus tragoediae ratione ac conformatione ad reliquas hujus fabulae difficultates explicandas lux accedet laetissima. Namque Aeschylus subtiliore et accuratiore mythologiae studio pristina mentis humanae placita ita explorata habuit, ut rei mythologicae verae rationes ex ejus dramatibus erui possent. Idem vero libentissime ac diligentissime in argumentis antiquissimarum fabularum, praesertim si quae ad religionem pertinent, explicandis versatur; atque Aristoteles ubi singula tragoediarum genera distinguit, ex Aeschyli Phorcydibus et Prometheis peculiare constituit genus: Poet. XVIII. Quod ὅμαλον nominans fabulas plana et simplici institutione excellentes significat. Eas ita instituendo Aeschylus hoc egisse videtur, ut interior quidam rerum propositarum sensus agnosceretur. Admirabilis vero ars illa et subtilitas, qua inductis personis sublimior quaedam vis ac sententia adtribuitur, et artificum antiquorum studio celebrata et a comicis quoque poetis adhibita est. Huc Aristophanis personae

symbolicae *Πενία* et *Πλοῦτος* pertinent, ut Nubes, Vespes aliasque, quae significationis et vi et venustate quadam excellunt, hic omittam. His quidem longe graviores et significantiores sunt personae mythicae, quoniam pristinae aetatis philosophia ac theologia fabularum imaginibus est involuta, atque subtiliores etiam Graeciae philosophi, maxime Pythagorei, sublimiorem suam sapientiam ad philosophiae praecepta et religionis disciplinam pertinentem harum involucris fabularum subvelabant, test. Clemente A. Strom. V. Aeschylum vero ut credamus subtiliora rationis placita occultius hunc in modum tradidisse, satis jam valet Athenaei de illo arbitrium (Deipns. VIII. 347.): „*φιλόσοφος ἦν τῶν πάνυ, ὃς καὶ ἡττηθεὶς ἀδίκως ποτε ἔφη, χρόνῳ τὰς τραγῳδίας ἀνατιθέναι, εἰδώς, ὅτι κομιεῖται τὴν προσήκουσαν τιμήν.*" cf. Tzetz. ad Hesiod. *Ἐργ. β.* p. 104: *Αἰσχύλος γὰρ ἀρχαικὸς* (v. *ἀρχικὸς*) *ἦν καὶ σοφὸς* sq. Aeschyl. Biogr. C. II. fin. Quod de Euripide Svidas narrat, id etiam ad Aeschylum pertinet: *ἐπὶ τραγῳδίαν δὲ ἐτράπη, τὸν Ἀναξαγόραν ἰδὼν ὑποςάντα κινδύνες, δι᾽ ἅπερ εἰσῆξε δόγματα.* — Etiam probabilius illud est, si Ciceroni, Aeschylum fuisse Pythagoreum dicenti (Tusc. Quaest. IV. 2.) fidem habemus. Quamquam hujus rei veritas non est ad unum Ciceronem testem referenda, cum ipse quemque, qui sapientia excelleret, Pythagorae auditorem fuisse creditum tradat ibid. Confirmari videtur aliis quoque argumentis, poetam Pythagoreorum doctrina fuisse imbutum. Namque primum tragoediarum quarundam (Eumenid. Supplic. Prometh.) subobscura ratio et deperditarum nonnulla nomina: *Κάβειροι*, (haec fabula aliis fuisse mystica videtur: Lobeck

Arg. myst.) Ψυχαγωγός, Ψυχοςασία, Φορκίδες, Παλαμήδης al. hoc significant; deinde aliorum scriptorum, praecipue ecclesiasticorum testimoniis, et fragmentis, quae apud eos sunt, nonnullis idem probari potest. V. Clem. Strom, I. et V. (Αἰσχύλος ἐπὶ τοῦ θεοῦ σεμνῶς σφόδρα φησίν, Ζεύς ἐςιν αἰθὴρ sq.) atque fragm. in edit. Both. 596 — 7. et 600. Denique in tragoediarum superstitum locis deprehenduntur Pythagorae rationes: quem in finem solum examinem Prometheum, in reliquis dramatibus pythagorica ex Stanl. Comment. cognoscenda relinquens. In eo diffusa est Pythagoreorum opinio, qui deum fato subjecerunt (quam partem Stoici praecipue fovebant) v. 517. aliaque insunt multa, vulgari mythologiae contraria, ut, Themidem et Terram unam esse, quas et ipse diversas dicat Eumenid. init. Quae deinde de numeri vi atque exercitae memoriae praestantia teste Jamblicho vit. Pythag. 17. et 29. Pythagorei docuerunt, iis nonne simillima Prometheus v. 459 — 462 dicit? Neque minus dicta ejusmodi v. 436. δάπτεσθαι κέαρ coll. cum Pythagoreorum dogmate καρδίαν μὴ ἐσθίειν, v. 553. τὰν Διὸς Ἁρμονίαν al. habent spiritum Pythagoreum; cujusmodi alia infra C. IX. afferenda sunt. At vero negari non potest, ut illud de Themide (cujus de mystica dignitate v. Orph. Hym. 78. Diod. v. 67.), ita talia permulta etiam mystici generis dici posse: quippe cum credatur et poeta mysticus fuisse et inter mysteriorum et Pythagoreorum disciplinam arctissima intercessisse necessitas. Quodsi utriusque disciplinae fons esse Aegyptus recte creditur, totam rationem Pythagoricae scholae eandem atque mysteriorum fuisse, non est quod miremur. Etenim, vulgari ex opinione,

utriusque doctrina interior taciturnitate parietibusque clausa non patuit nisi viris probatis initiatisque; adeo Pythagoreorum ἀκουσματικοὶ iidem fuisse putantur, qui in sacris μυσαί, μαθηματικοὶ inter illos, qui his ἐπόπται; atque Proclus Theol. Plat. 5.: Ἅπασα γὰρ ἡ παρ' Ἕλλησι θεολογία τῆς Ὀρφικῆς ἐστὶ μυσταγωγίας ἔκγονος, πρώτου μὲν Πυθαγόρου παρ' Ἀγλαοφήμου τὰ περὶ θεῶν ὄργια διδαχθέντος· δευτέρου δὲ Πλάτωνος ἀποδεξαμένου τὴν παντελῆ περὶ τούτων ἐπιστήμην, ἔκ τε τῶν Πυθαγορείων καὶ τῶν Ὀρφικῶν γραμμάτων. cf. Herod. II. 81. Quibus de rebus disseruit Villoison l. De tripl. theol., ad quem relego lectorem. — Quae cum ita sint, intelligitur, difficillimam esse de Aeschylo mysteriorum proditore quaestionem, licet ab omnibus, Aeschylum profanasse mysteria, fere ita referatur, quasi, quin fuerit initiatus, nemo possit dubitare. At Clemens Al. Strom. II. haec habet: Αἰσχύλος τὰ μυστήρια ἐπὶ σκηνῆς ἐξειπὼν ἐν ἀρείῳ πάγῳ κριθεὶς οὕτως ἀφείθη, ἐπιδείξας, μὴ μεμυημένον. Quae quidem sumsisse videtur ex Aristotelis loco hac in re gravissimo, sed ambiguo: Ethic. Nicom. III. 1., ubi Aeschylus, quae mysteria evulgasset, narratur judicibus respondisse, οὐκ εἰδέναι, ὅτι ἀπόῤῥητα ἦν. Et profecto Aeschylus non initiatus, ex doctrina mystica quae essent arcana et tacenda, scire non potuit; qui arcana ejusmodi dogmata vel proprio Marte cognita vel aliunde accepta evulgaverit. Veluti in Prometheo proprio studio edoctus Terram et Themidem dixisse potest unam esse; qui alibi Bacchum et Apollinem eundem fecit: Macrob. Satur. I. 18., et secundum Herodotum II. 156. ἐποίησεν, Ἄρτεμιν εἶναι θυγατέρα Δήμητρος: quod eum ex Aegyptiorum doctrina sumsisse

volunt Herod. l. l., et Pausan. Arcad. 37. Item Plutonem dixit et Jovem: Suppl. 151. 234. et Agesilaum: Athen. III, 99., atque (Pausan. Corinth. II, 24.) *καλεῖ Δία καὶ τὸν ἐν θαλάσσῃ*, et (Attic. I. 28.) *πρῶτος Ἐρίννυσι δράκοντας ἐποίησεν ὁμοῦ ταῖς ἐν τῇ κεφαλῇ θριξὶν εἶναι*, multaque alia inesse in Aeschyli dramatibus, quae Aegyptiorum vel Pythagoreorum scholas redoleant, quorumque origo inde deduci possit, et dixi et infra dicam. Quare licet concedamus, Aeschylum ad suscitandam profanationis criminationem non omnino mysteriis initiatum fuisse oportere; tamen eum, qui et Aegyptiorum et Pythagoreorum doctrina percepta et alio quovis modo animum et mentem conformaverit, revera interfuisse censeo; idque quin censeam, primo non prohibere Aristotelem et loci illius ratione et Eustratii commentatione, quam mox afferam, evincitur. Mysteriorum deinde Eleusiniorum quasi in ipso gremio Aeschylus natus et institutus erat, quorum apud Graecos tanta erat auctoritas, ut egregiorum virorum nemo non initiaretur. Ex his enim mysteriis praesentis et futurae vitae salutem pendere, consentiens erat veterum opinio: Diodor. v. 49. Eichst. Adeo uti non licuit mysticae doctrinae et institutionis experti publicum munus obire: Harpocrat. s. *Ἑρκεῖος Ζεύς* Poll. VIII. 9. et Hemsterh. ad h. l.; ita in jus vocati sunt mysticae sanctitatis negligentes: quamquam in his rebus tempora distinguenda sunt. Postremo ut illustrissimi quique viri nominantur mysteriorum participes, ita Demonactem omnium Graecorum solum non initiatum fuisse, narrant Lucianus et alii. Quid quaeris?

Aeschylus ipse, ut est apud Aristoph. Ran. 886. precatur thus foculo immittens:

„Δήμητερ, ἡ θρέψασα τὴν ἐμὴν φρένα,
Εἶναί με τῶν σῶν ἄξιον μυςηρίων,"

ad quae Scholiastes illa satis mira affert: ὅτι ἐν τοῖς Ἐλευσινίοις ἐτελεῖτο τὰ δράματα τοῦ Αἰσχύλου. Igitur salva Clementis auctoritate majorem nobis fidem facit Heraclidae Pontici apud Eustrat. et Aeliani (V. H. V. 19.) narratio, ex qua Aeschylus propter aliquod drama impietatis reus factus est; deprecantis vero Amyniae virtuti ad Salaminem praestitae condonabant Athenienses illud, ut frater absolveretur. Atque Athenienses profanata mysteria utique gravissime esse ultos, ex aliis quoque exemplis apparet. Alcibiades enim, Diagoras al. capitale eorum sibi odium contraxerunt: quin etiam minimam violatae mysteriorum sanctitatis speciem ad lites commovendas sufficisse ex Isocratis intelligas verbis: Εἰδότες δὲ τὴν πόλιν τῶν μὲν περὶ τοὺς θεοὺς μάλις' ἂν ὀργισθεῖσαν, εἴ τις εἰς τὰ μυςήρια φαίνοιτο ἐξαμαρτάνων, τῶν δὲ ἄλλων, εἴ τις τολμῴη τὸν δῆμον καταλύειν. cf. Andoc. de myster. p. 7. — Jam ἐπί τινι δράματι cum Aeschylus impietatis accusatus sit, id vero drama non nominetur, Eumenides fuisse conjecit Musgravius, cui adsentitur Boeckhius, Sane, inquiens, qui Atheniensium pronos ad lites movendas animos cognovit, Eumenidas hoc nomine accusari a quopiam potuisse non negabit" (de Trag. gr. p. 39.) Ea sententia si illo praecipue Eumenidum loco nititur, ubi Furiarum cum Apolline altercantium vera demonstratur natura, probabilis non est; neque magis si ad omnem spectas fabulae conformationem. Ejus enim omnis vis, si be-

ne quaeras, philosophica est, seu potius psychologica; neque iis, quae hic leguntur, aut verius quidquam de Furiarum natura dici, aut de externis earum terriculamentis elegantius ac subtilius fingi potest. In quibus cum nihil insit impietatis, magisque philosophicae quam mysticae rationes reperiantur, criminationis hanc fuisse causam aegre crediderim. Mythologiae enim universae rationes philosophice explicatas esse disciplina mystica, fabulas purgatas sordibus, interioremque sensum subtiliter demonstratum, quanquam multi opinantur, qui et ipsi deum ibi jam doctum esse unum clamitant: tamen certis argumentis veterumque claris testimoniis haec opinio destituta est. In Eleusiniis certe nisi de mysticis numinibus nihil potest doctum esse; quorum in Eumenidibus nulla fit mentio. Deinde si propter eam fabulam cum primum docta esset, tantam in invidiam poeta incurrisset, Prometheum, quam serius scripsisse opinantur, talem sane non formasset: quam fabulam cum jam veteres divinis et arcanis rebus refertam esse intellexerint, si non potiori, at pari jure dixeris mysticam. Eadem quodammodo exemplum praebet actionis dramaticae, qua in mysteriis historia prisci numinis miseranda proponebatur, ut quasi sensibus posset percipi: neque Iovis ceterorumque, qui tunc vulgo colebantur deorum vilitas ulla ratione illustrius demonstrari potest, quam id hac Prometheo factum est. Eae vero res, nisi indolem hujus dramatis ac rationem cognitam et perspectam habemus, ad liquidum perduci non possunt. Igitur in Prometheo, inquies, propalatorum mysteriorum vestigia deprehendis? At Eustratius, ad loc. l.

Aristot., fabulis, in quibus ipsi mysteria poëta evulgasse videretur, non accenset Prometheum. „Is locus latine translatus hic est: Videtur Aeschylus in Sagittariis, in Sacerdotibus, in Sisypho saxum volvente, in Iphigenia, item in Oedipode de Cereris sacris curiosius quaedam evulgasse; de quo Heraclides Ponticus in primo de Homero libro scribit, parum abfuisse, quin in scena ea de causa fuerit interemtus, quod nonnulla de mysteriis prodere videretur: praesensisse enim populi tumultum, atque ad aram Bacchi confugisse, cumque Areopagitae intercessissent, dicerentque, nihil prius de eo temere consulendum, quam judicio suo fuisset decretum: fuisse in judicium adductum atque absolutum, clementia judicum maxime veniam consecutum, quod strenue apud Marathonem pro patria pugnaverat. Nam et fratri Cynaegyro manus obtruncatae fuerant, et ipse graviter saucius ex proelio fuerat exportatus." — Quae ex Heraclide Pontico afferuntur, iis fides habenda est, verum quae suo deprompsit ingenio Eustratius, ea et ipse tam ambigue proposuit, ut nostras opiniones aequiparanda essent: quare nec Boeckhius ea respexit. Etiam, quem alii Aeschyli fratrem Amyniam nominant, cum aliis cur dixerit Cynaegyrum deprecatorem adfuisse, equidem utriusque precibus cives esse commotos putans nihil curo.*) At vero, inquies, non doctrinae mysticae divulgatione, sed rituum mysticorum ostentatione scenica Aeschylus Eleusinia prodidit. Sane quidem haec viri praeclarissimi, Lobeckii, est sententia, qui δᾳδουχίαν illam in

*) cf. Hermann. de chor. Eumenid. II. p. 27 seq.

exitu fabulae repraesentatam profanati mysterii suspicionem praebuisse affirmat. Ea vero Aristotelis omnisque antiquitatis testimoniis, quibus Aeschylum non ritibus mysteriorum sanctitatem, sed dictis laesisse constat, adversatur; quanquam δᾳδουχίαν proprie mysticarum religionum fuisse, ipse Cap. I. docui. Quo illud longe gravius est, quod Vir Eximius mysteriorem Eleus. fuisse disciplinam unquam, aut doctrinam omnino negat. Qua sententia tum illius de Aeschylo mystice locuto narrationis, tum omnium, quibus mysticorum librorum, carminum, argumentorum, ἱερῶν λόγων mentio fit, locorum exploditur fides; quibus hoc saltem est tribuendum, ut existimentur antiquiore aetate arcanam aliquam scientiam mystici poetae et sacerdotes partim celasse, partim verbis versibusque obscurioribus ritibusque dramaticis tradidisse, cum seriore aetate ceremoniarum et pomparum magnificentia spectatoribus plerisque satisfacere coeperit. Sed ea quidem quaestio cum a nostro loco aliena sit, iis, quae vir doctissimus in Dissertat. De praecept. myst., De myster. gr. argument., De myster. Eleus. grad. attulit, eo adducor, ut quaestionem de fabula mysteriorum profanatorum damnata omittam, et Aeschylum putem reconditioris scientiae potiorem partem a Pythagoreis accepisse. Et profecto Pythagoricae scholae quanta vis fuerit, nondum recte aestimari videtur. Namque cum alii Graecorum et philosophi et poetae sublimiorem rerum divinarum scientiam ei debent, tum Aeschyli explicatio a perpetua hujus scholae recordatione sejuncta scholiastis et antiquioribus jam criticis manca et inanis visa est. Secundum Aeschy-

lum Pindarus' Pythagoreos maxime aemulans simili studio anilis superstitionis impugnandae puriorisque doctrinae propagandae excellit, abs quo adeo metempsychoseos mentio Olymp. II. 75. sq. inferri putatur. Idem vero etiam de Epicharmo, Simonide, aliisque, quorum mysticam philosophiam laudant veteres scriptores, judicarunt. Clem. Str. V. Etenim tunc temporis summa Pythagoras florebat laude et auctoritate, quae cum arcanae doctrinae dignitate et divinitate in Graecia fugitivorum discipulorum studiis haud parum aucta est. cf. Cic. Tusc. Q. IV, 1. V, 4. Quanquam mihi Pythagorica eo ipso demum, quod cum mystica disciplina et doctrina quam accuratissime conciliabantur et conjungebantur, apud Graecos tanta incrementa cepisse videntur: cf. Tiedemanni Griechenls. erste Philos. p. 408. —

CAP. VI.

PROMETHEI V. CONFORMATIO.

De Prometheo Vincto cum pars tantummodo trilogiae sit, difficile est, accurate judicare, et, quod ejus primum drama atque ultimum interierint, vix satis doleas. Ex superstite quidem Prometheo atque ex fragmentis et collatis summa orationis gravitate, singulari rationis sublimitate et oeconomiae simplicitate illa quoque excelluisse dramata, conjeceris. Vincti vero Promethei institutionem ut facilius perspiciamus, tres partes distinguamus chori canticis notatas.

V. 1 — 397.

Κράτος et *Βία* jussu Jovis cunctantem Vulcanum, ut Prometheum maxime propter ignem raptum saxo alliget, adigunt — 98. Cruciatum constanter perpessus Prometheus, jamque solus relictus dolores lamentando sublevare studet — 112. Mox vero erecto animo Nymphas Oceanitides curru alato advectas conspicatus cum iis immeritas a Jove superbiente immissas plagas conqueritur. — 284. Accedit Oceanus in conquerentium societatem; sed ad modestiam cohortationibus suis spretis decedit — 397. Chorus pertinaciae causas comperit probatque — 560. Altera in

parte Io coecis erroribus hic appulsa et Promethei et suam ipsius fortunam immeritam queritur. Reliqua in dramatis parte Prometheus a Mercurio frustra, ut Jovi cederet, admonitus una cum rupe in tartarum dejicitur.

Haec quo loco ac tempore poeta acta esse finxerit, ante omnia est inquirendum. Et de loco quidem, licet alii alium statuant, alii in medio quaestionem relinquant, cum iis facio, qui Caucasum fuisse censent, non in Asia quidem, sed in Europa citra paludem Moeotidem, ex poetae quidem opinione, situm. Qua de re plura, quae infra dicenda sunt, hic praetermittens, ad temporis, quo haec aguntur, definitionem transeo; eamque repeto ex versibns 149 — 151., coll. 35. 96. 310. 351. 403; ubi cum legatur; *Νέος γὰρ οἰκονόμοι* etc., actionem in illud fabulosae aetatis tempus incidere, quo recentiores dii nacti sint imperium, apparet. Quibus de diis quid visum sit Aeschylo, postea demonstrabo, hoc uno nunc addito, secundum fabularum rationes antiquorum deorum gente comprehendi omnia numina, sive a Chao sive a Coelo et Terra oriunda, quae ante Jovis imperium summa auctoritatis vi pollebant, ab eoque deinde maximam partem sub terra condebantur. Titanum nomen de iis omnibus videtur poni, quae geretricium naturae animique humani virium sunt cogitatae formae.

Prodeunt cum Prometheo in scenam, quam adumbrata montis Caucasei regione exornatam fuisse, verisimile est, *Βία* et *Κράτος*, quae numina, auctore Hesiodo Theog. 385. seq. Jovis throno semper assidebant, a Styge et Pallante genita:

Τῶν οὐκ ἔς' ἀπάνευθε Διὸς δόμος, οὐδέ τις ἕδρη,
Οὐδ' ὁδὸς, ὅππη μὴ κείνοις θεὸς ἡγεμονεύει.
Ἀλλ' αἰεὶ παρὰ Ζηνὶ βαρυκτόπῳ ἑδριόωνται.

His Jovis satellitibus vel paredris imperii divini significatur summa potentia invictaque vis, quam adumbravit item Callimachus in hymno celeberrimo v. 68.: „Σή τε Βίη, τό τε Κράτος, ὅ καὶ πέλας εἵσαο δίφρου." et Mosch. apud Stob, Eclog. phys. p. 242. Ἡ Βία δὲ σύνθρονος Διί. conf. Aesch. Choeph. 233; Arnald. d. diis Paredr. I. 117. Biae adeo templum erat sacratum Corinthi in Acropoli. Utrique numini, quorum modo alterutrum poeta loquens induxit, Vulcanus dicit: Ἀεί γε δὴ νηλὴς σύ καὶ θράσους πλέως" atque morem gerit iis, in alligando Prometheo diu cunctatus. Qua ejus misericordia pariter atque indignatione praecipue in verbis: „Ὁρᾷς, θέαμα δυσθέατον ὄμμασι", conspicua ipsius Jovis exprobatur crudele imperium; idque non minus prudenter instituit Aeschylus, quam, quod ipsum Vulcanum expulsi Promethei successorem fecit. v. 39. — Admirabilis vero Promethei est fortitudo ac constantia, quae eum coram illis carnificibus gemescere omnibus licet tormentis excruciatum non patitur.*) Quod autem, si omnibus humanitatis sensibus exutus con-

*) Sunt, qui legibus scenicis coactum poetam haec ita instituisse dicant. Et profecto rarissime plures quam duae personae colloquentes reperiuntur in Aeschyleis. Verum neque alibi earum quae adsunt personarum silentium vi caret, neque Aeschylum artem hujusmodi legibus constrinxisse probabile est; atque de Hercule similiter afflicto item canit Ovidius: Dum potuit solita gemitum virtute repressit. cf. Schol. Prom. 435. Schol. Ran. 942.

spiceretur, animos minus tangeret, praestitum animi robur absentibus numinibus infestis in lugubres abit lamentationes. Desertus ab omnibus jam secum reputat, quanta pro quantis in beneficiis in homines collatis patiatur a diis istis mala, atque Jovis injustitiae totam rerum naturam advocat testem. Mox vero redit in animum recte factorum conscium fortitudo; τὴν πεπρωμένην, inquit, χρὴ αἶσαν φέρειν ὡς ῥᾷστα. Haec ejus διὰ τὴν λίαν φιλότητα βροτῶν (v. 123.) patientis sors, cum iniquas recte et benevole factorum poenas praescivisse (v. 265.) dicatur, in nostros animos fortasse etiam proniore via decedit. Advenientium jam Oceanitidum perterritus strepitu (v. 115.) verissime fatetur: πᾶν μοι φοβερὸν τὸ προσερπόν, siquidem natura ita comparati sumus, ut mala patientes undique timeamus etiam majora. *) Vulcani illum alligantis ictibus adscitae Promethei adspectu cohorrescunt. **) Ejus enim

*) Plut. Sympos. v. οἱ δειλοὶ καὶ τὰ σώζοντα φοβοῦνται. Terent. Adelph. IV. 3. Omnes, quibus res sunt minus secundae, magis sunt nescio quomodo suspiciosi sq. — Schillerus: „Hat unsre Seele nur einmal Entsetzen genug in sich getrunken, so wird das Aug' in jedem Winkel Gespenster sehen." (Kabale und Liebe)

**) Voss. Mythol. Briefe vol. I. p. 158: Oceanus, der Herrscher des kreisenden Weltstroms, der bei Aeschylus, wie bei Pherecydes (Sch. Apoll. 4. 1396. Athen. II. 6.) und Pindar (Pyth. 4. 447.) schon zur Breite eines Meers erwachsen war, wohnte als Stromgott im Felsengeklüft seines Quelles (300), welchen Hesiodus (Theog. 282). Pindar (tr. p. 79.) u. Kallimachus (Pall. luv. 5.) am westlichen Ende Europas annahmen. Bis hierher tönte das Gehammer des anschmieden-

enim erant consanguineae, numero quinquaginta; quas omnes allatis curribus e sublimi in scenam vectas esse, admodum improbabile est. Boeckh. Gr. trag. pr. l. VI. Iis hic constans Chorus conspicitur κηδευτὴς ἄπρακτος· εὔνοιαν μόνον παρέχεται, οἷς πάρεστι" Aristot. Ita Chorus in Sept. adv. Theb. alib. Iisdem Jovis, quem tristis rei compererant auctorem, fastidium inhumanitatemque exprobrantibus, aeque ac Promethei atrocitatem incusantibus, omnem rem is ordine explicat, gravissimum illud accusans tyrannorum νόσημα, τοῖς φίλοισι μὴ πεποιθέναι. Ipse enim Prometheus Jovi cum Gigantibus pugnanti summa praestiterat officia, propter quae elatus timendusque in posterum illi videbatur. Locus is toti fabulae multam impertitur lucem v. 200 — 240. Eam quidem dramatis partem poëta insignem fecit non horrore, quem prior animis incutit, sed mollibus humanitatis sensibus, quibus tenerae virgines Promethei doloribus concussae nostros imbuunt animos. Iis peccasse Prometheum fateri dubitantibus ingenue ipse confitetur: ἑκὼν, ἑκὼν, sc. cum virtutis humanitatisque praeceptis non possem non satisfacere ἥμαρτον, οὐκ ἀρνήσομαι. Sed in ipso peccato summam ipsius laudem verti videt: θνητοῖς δ' ἀρήγων αὐτὸς εὑρόμην πόνους." En verum tragici herois ingenium ac naturam! Sed ne longus sim in singulis, jam cetera

---

des Hefaestos. Die mitleidigen Okeaniden baten den Vater um Erlaubnifs, und, ohne sich Zeit zur Beschuhung zu nehmen, eilten sie hin auf einem Wagen mit geflügelten Greifen, Fabelthieren des angrenzenden Arimaspenlandes, deren eins auch den Oceanus selbst durch die Luft heranträgt." cf. Schütz. ad h. l.

brevius persequar. Advenit, re exaudita, ipse Oceanus, qui, qua fuit timiditate sive potius sapientia senili, precibus, cohortationibus, minis, ut Prometheus Jovis potentiae modeste cedat, seque deprecatore uti velit, efficere studet. Verum ne talis quidem monitoris auctoritate illius robur infringitur; desperatum relinquit senex. At vero dixeris, unde immutabilis illa, quae pertinaciam et atrocitatem aequiparat, Promethei constantia? Namque ut immortalium de Jove hominibusque meritorum sibi conscius, ita certus ipsi Jovis erat interitus, quem jam antea imminentem obscure indicaverat v. 187 sq. Quas rationes satius poëta expositurus sequens Promethei cum Nymphis composuit colloquium v. 395—560. Hanc per fabulae partem rerum cardinem in eo verti intelligimus, quod cum omnium τῶν πρὶν πελωρίων, augusta gravitas, tum maxime Promethei divina dignitas extollitur, et quod supremo imperio recentes vilioresque dii iniuste potiti esse, ipsi vero rursus a Jove aspere atque ex arbitrio dominante premi dicuntur. Hoc etiam magis in altera fabulae parte poëtam spectasse videbimus, ubi Io conspicitur interveniens. Cujus tristissima sorte ad summam misericordiam, quin etiam ad vehementissimam indignationem rapimur. Etenim integra virgo, Inachi filia, quamvis Jovis illecebras insidiasque constanter effugere studens, ejus dolo Junonisque invidia in miserrimum abigebatur statum, quo bos facta per totum terrarum orbem pervagabatur furore agitata. Ejus quoque fabula tantis difficultatibus est implicata, ut plures ejusdem nominis distinguant viri docti: Scaliger. ad Euseb. p. 29, 34; Larcher. Chronol. Herod. IX, 2. Erroribus vero ejus,

quorum apud Aeschylum ratio geographica tantis tenebris latet condita, ut satis expediri posse valde jam dubitem,*) Pelasgorum vagationes indicari crederem, nisi antiqui Asiatici cultus iter et migrationem significari etiam verisimilius esset, v. Ritter. Vorh. 323. Ius deinde ad Prometheum adventus si propter temporum concinnandorum difficultates non omnibus de re judicibus probatur, non est, cur etiam artis rationibus habeatur contrarius. Illud enim, quamvis invita Gallorum severitate, condonandum dramaticis, quod in constituendis temporum rationibus majorem sibi libertatem sumere soleant. Quinimo ineptas judico argutias, quibus tales res ad chronologiam certam exiguntur. Io Prometheum, cognita ejus miseria vaticinandique, quam a matre acceperat, facultate, ut de sorte futura ipsam faciat certiorem, precibus urget. Sortem suam cum etiam in posterum fore miserrimam percepisset, recentibus furoris stimulis concitata Aegyptum versus defertur. Solatium quidem miseris, malorum socios habere; verum Promotheus Jus immeritam miseriam cum sua comparans eo procedit indignationis, ut summis Jovem recentesque deos omnes opprobriis obruat, palamque instantem illius ruinam et exoptet et denunciet: id quod haud quaquam videbitur eo indignum, ut qui, qua summa hominum caritate excelluerit, hanc probissimam virginem tanta excruciatam turpitudine cernens non posset non vehe-

*) v. Voss. epist. mythol. II, 17, 18. Schütz. Excurs. IV. ad Prometh. Herm. Observat. Crit. in Aesch. et Eurip. C. II. Tentavi rem perdifficilem Cap. XI, sed haud scio an eodem, quo alii, successu.

mentissimas animi perturbationes pati. Neque min[...] Oceanitides tristi utriusque adspectu percelluntur, qua[...] teneris animis summa Jus misericordia inflammat[...] divinam originem atque omne cum diis junioribu[...] consortium parum abest, ut detestentur. Omnis ig[...] tur haec fabulae pars ad summam Jovis protervitatem et tyrannidem exprobrandam manifesto conscripta es[...] Restat ultima dramatis pars, qua et Promethei virtu[...] animique constantia extremo probatur discrimine, e[...] ultima Jovis iracundia docetur. Mercurius enim a Jo[...] ve missus, qui Prometheum ad cedendum, atque a[...] vaticinium explicandum cohortando minandoque com[...] moveret, acerbissime deridetur. Nymphae vero ips[...] tanto illi adhaerent studio et amore, ut contemtis Mer[...] curii admonitionibus illi, quidquid accidat, se socio[...] fore denuntient. Quae minatus erat nuntius, Jupite[...] exsequens horribili terrae motu Prometheum cum rupe i[...] tartarum praecipitat. At vero ut ipse immortalis era[...] ita fortitudo animi salva mansit et incolumis. Qua[...] cum vel interiens virtutis Prometheae vis victrix ev[...] dat, absolutissimum hoc tragicae artis exemplum qu[...] est quin admiretur!

CAP. VII.

VIRORUM DOCTORUM SENTENTIIS DE FINE AC CONSILIO FABULAE ALLATIS CUM EA AD RELIGIONEM PERTINEAT, GRAECAE RELIGIONIS ET THEOLOGIAE BREVIS HISTORIA ADUMBRATUR.

Promethei V. ratione et adornatione exposita, opus est, ut quas alii de ejus vi et sententia proposuerunt opiniones, paucis attingamus. Quorum qui fabulam omnino contra tyrannos scriptam esse putant,*) quamvis haud minore quam Schützius doctrina et subtilitate in defendenda sententia utantur, tamen ab aliis satis jam refutati sunt. Alii propter hoc maxime, quod Aeschylus ita abuti non potuisset deorum sanctitate, gravius aliquod consilium latere censuerunt viri doctissimi Jacobsius, Schlegelius, Bluemnerus.**) Horum si summam spectas, omnium in eo consentit opinio, ut in Prometheo scribendo poëtam summae constantiae exemplar effinxisse, et philosophicas quasdam rationes

---

*) Brumoei Theatre d. Gr. I, p. 298. Schütz. Aeschyl. tragg. I. p. 178.

**) Jacobs Nachträge z. Sulz. Theor. III. Schlegel. dramat. K. u. Litt. I, 162. Bluemner. Idee d. Schiks. p. 6 sqq.

spectasse dicant; grave quidem fabulae consilium, idemque praeclare ab iis illustratum. Sed cum aliis, tum Jacobo ne hoc quidem satisfacit. Qui pro eo, quo excellit, singula quaeque ad tempora sua referendi studio, adstipulans Passovio, contra Periclem compositam esse fabulam docet;*) idem ad hujus fabulae exemplum Sophoclis Philocteten formatum esse censet. In utraque sententia comprobanda plurima quidem dixit praeclare; verum ut fieri solet, illucente veritatis specie remotissima quaeque et alienissima in subsidium convocando causam videtur perdidisse. Etenim praeterquam quod utriusque fabulae argumentum, quod personarum agentium diversa natura jam comprobatur, prorsus dispar est, siquidem de imitatione aliqua cogitandum, Sophocles Prometheo potius suo Aeschyleum exemplar expressisse probabile est: Dio. Chrys. Orat. 53. De consilio Promethei vero cogitans miror, a multis putari tragicos ubique insidiatos esse Pericli, quem maximi habuisse, adeoque populo saepe commendasse appareat ipsorum ex dramatibus aliorumqne scriptorum narrationibus; et invidiam populi Pericles sibi non ante Ol. LXXX, 1. contraxit. Deinde politicas quamquam deprehenderis in dramatibus graecis rationes, tamen qui contra unum aliquem virum drama integrum esse compositum putant, omnino falluntur. Tum, ut altius repetamus de Prometheo quaestionem, satis valent antiqui Scholiastae verba, quae infra C. X. afferam. Inest vero etiam, quod ex serie rerum sententiarumque brevissime descripta apparuit, plus

*) Passov. de Aesch. Pers. p. 15. Jacob. Quaest. Soph. 300 sq.

picturae poeticae, quam actionis dramaticae hac in fabula: alligatur Prometheus, ad cedendum admonetur, rationibus suis constans ad inferos dejicitur; haec, quae aguntur. Personarum autem, quorum mores egregie poeta expressit, principes Prometheus atque Jupiter. Quibus cum adumbrandis omnem insumserit operam artemque, ex hoc ipso, quod consilium in Prometheo secutus sit, colligi potest. Maximi denique momenti illud est, quod antiquior cum juniore deo, sive potius dii antiquissimi cum recentibus — οἱ νέοι μαχόμενοι τοῖς πάρος θεοῖς (τὸ δρᾶμα σημπληροῦσι οἱ πρεσβύτατοι τῶν θεῶν Schol.) — pugnantes inducuntur: qua argumenti gravitate poetam, ut omnino gravius aliquid, ita, quia deorum res omni dramate agitur, res divinas spectasse opinari cogimur. Et antiquorum deorum causam agunt Prometheus, Oceanus cum filiabus et Io. Illius quidem cum terrae sit filius, jam origine vera indoles indicatur. Namque piis pristinorum hominum rationibus acceptum illa numina, divinam rerum naturam significantia, originem referunt; divinitatemque suam hominibus Prometheus probaverat, quod summa in eos beneficia contulerat. Dicitur enim utilitates ex viribus nervisque naturae occultioribus ad homines redundantes ac commoditates ita in medium protulisse, ut ex ferino vivendi genere humana existeret vita; *) quibus de causis cultu, quo florue-

*) Admodum memorabilis est locus, quem supra jam excitavi, Stob. Ecl. p. 144, in quo Moschion et rude incultumque prisci temporis vitae genus, et prima cultioris vitae initia egregie quidem, sed ita exponit, ut Aeschyli in Prom. narrationem ante oculos videatur habuisse; nam et singulorum verborum summa est similitudo.

rit; dignissimum fuisse, Aeschyli sententia est. Deorum pristinorum alter Oceanus est, qui regno suo et ipse per Neptunum spoliatus recentiorum deorum imperium leni animo ferebat; idem nec belli inter utramque deorum gentem exorti particeps fuit: Apollod. I, 1, 3. Homerus eum, physicas rationes prodens, *θεῶν γένεσιν* (Il. XIV, 201.) vocat, et Schol. *Αἰχύλος ὑπερβολῇ ἐχρήσατο· ὁ γὰρ Ὅμηρος οὐκ εἰσήγαγεν Ὠκεανὸν εἰς σύλλογον τῶν θεῶν.* Pervulgatam vero secundum fabulam Prometheo cognatus est, Coeli et Terrae primus filius. Is ex parentibus qua lege exortus fingi ab antiquis potuerit, et Creuzerus (p. 161.) et Hermannus (p. 80.) in Epistol. de mythologia conscriptis diversa quidem uterque ratione explicarunt. Illud patet, eum a pia aetatis pristinae simplicitate divinum cultum accepisse, et divinam maris vim significare. Obtinuit enim antiquiore aetate haec consuetudo, ut quascunque naturae vires praeter alias et salubres et admirabiles animadverterint, divino prosequerentur cultu. Cic. N. D. II, 28. Cui religionis generi, simplicissimo ei quidem et plane physico, etiam Graecos post ruditatis primae miseriam victam et pulsam addictos fuisse et per se probabile est, et testimoniis confirmatum. Plat. Cratyl. *φαίνονταί μοι οἱ πρῶτοι τῶν ἀνθρώπων τῶν περὶ τὴν Ἑλλάδα τούτους μόνους θεοὺς ἡγεῖσθαι, οὕσπερ καὶ νῦν πολλοὶ τῶν βαρβάρων, ἥλιον καὶ γῆν καὶ ἄστρα καὶ οὐρανόν.* Plutarch. d. oracul. def. *πρῶτον μὲν ἡ γῆ - ὁ δὲ ἥλιος - νόμῳ πατέρων θεός ἐστιν.**) (Nam quod unum apud mul-

*) v. Knight in Seebod. Miscell. Crit. I, 11. Lobeck. d. Tritopatr. ibd. I. IV.

tos imae antiquitatis populos numen nullo nomine appellandum — ἀκατονόμαστον — solaque sensuum reverentia perceptum reperitur, id prius quidem, sed hominum est humanitatis expertium et mentis luce parum illustratorum: idque significari putatur Ophione illo, quem Schol. ad vers. 957., et Typhoeo, quem ad locum satis memorabilem et persimilem Agam. 151. nominat.) Ex naturae autem contemplatione et admiratione praeter religionem vetustam philosophia quoque et historia est profecta. Mysticis vero illis theologis, de quib. v. Cap. I., numina divinae rerum naturae celebrantibus et venerantibus ea, quae etiam exteris populis prima fuit, religione physica populi animi implebantur: Aristot. Met. XII, 8. II, 4. Rudia quidem atque incondita adhuc fuisse haec humanae scientiae principia, ipsorum numinum rudioribus formis proditur; sed quae indigenorum cum exteris populis commercii vis est, Phoenicum maxime (et Aegyptiorum, Herod. II. 52.) politiore cultu et Pelasgorum migrationibus antiquissima illa Graecorum religio paululum emendata atque ita formata est, ut etiam interiores naturae et animi humani vires, et peregrina ejusmodi numina divinitatem aliquam acciperent. Eum in numerum Prometheus, quippe et externum numen, et ignea humanae mentis pariter ac naturae vis, pertinet. Talis igitur est Titanum gens, τὰ πρὶν πελώρια, cujus simplex infantia et quasi sancta ruditas deorum multo juniorum conficta elegantia longe gravior fuit ac praestantior maxime secundum Orphica, Pythagorica et mystica placita. Praeter ipsum Prometheum et Oceanum huic numinum genti Aeschylus accenset

Atlantem illius fratrem v. 427. Typhoeum 347. et quos Prometheus v. 88 sq. 1091 sq. deos testatur. Jo vero quomodo huc pertineat, postea accuratius exponendum est. Omnem eam graecae religionis aetatem (Urani et Saturni regnum,) ex ipsius antiquitatis doctae indiciis dixeris mysticam. Posterioris aetatis dii ac pervulgatae de iis opiniones cum ex artificum figmentis poetarumque nugis*) exstiterunt, tum maxime aliunde in Graeciam paulatim irrepserunt, graeco ingenio aliena commenta. Et multum jam ante Homeri tempus factum esse videtur, ut simplicibus pristinae aetatis rationibus accederent cogitatae deorum formae, quae et anilem fere superstitionem et culturae Asiaticae luxuriem redolerent. Etenim jam Homeri mythologia, ut Buttmanni oratione utar, congeries est diversissimarum de iisdem saepe rebus imaginum et fabularum. Mos enim erat antiquarum gentium et imprimis Graecorum, ut nullam neque singularum suae gentis tribuum, neque adeo exterarum nationum religionem, nullam superstitionem, nullum poeseos antiquioris figmentum pro vano prorsus haberent, sed suis

*) Sunt qui negent, poetarum et artificum figmentis cum ipsius populi opininionibus et cultu eam intercessisse necessitatem, ut haec ab illis semper pependissent. Sed veterum testimoniis sententia nititur. Herodotus enim Homeri et Hesiodi carminibus hanc fuisse vim asserit, consentientibus Platone, Aristotele, Plutarcho, qui etiam de aliorum operibus idem praedicant. Deinde Solon Thespidis artem ideo improbavit, quod res illas fictas mox in ipsam vitam et negotia abituras esse praevidebat: Plat. Sol. 29, 30. Prostremo eandem injuriam cum Phidia, Jovis Olympii auctore, etiam acerbius expostulat Dio Chrysost. Orat. Reisk. I. p. 401.

quodque potius religionibus historiisque immiscerent: ea tamen velut lege, ut quos quidem deos suis quodammodo similes viderant, pro iisdem etsi diverso nomine haberent; sin vero suis fabulis ea, quae ab aliis tradita essent, plane repugnare viderent, diversos saepe deos, qui revera iidem erant, crederant. Posterius igitur hoc tum quoque accidit, cum sive reges deorum traditos invenirent, qui cum Jove, sive uxores Jovis, quae cum Junone misceri posse non viderentur. Sed nova tum existebat difficultas: plures enim reges reginasve admittere non poterant. Quam ita removisse mihi videntur antiquiores, ut deos illos regnasse quidem, sed a Jove suo victos coeloque pulsos, deas cum Jove consuesse quidem, at legitimas uxores non fuisse docerent. Et haec vera est origo fabulae de Titanibus coelo turbatis, eoque modo Jovi paulatim cessisse putandus est Chronos, Neptuno Oceanus, Junoni Jo, Vulcano Prometheus, aliisque alii dii, nisi qui, nomine ac forma mutatis commixtisque cum peregrinis nationibus remanebant. Eam quidem harum rerum commutationem, multis antiquitatis fabulis celebratam, tempus non ferebat modo, sed etiam postulabat. Hinc quae confusae et perturbatae, adeo insipidae graecae theologiae rationes exstiterant, diversa gentium oratione, neque minus invidia et odio iis de rebus diverse sentientium augebantur. Maximam autem hoc loco vim habebat antiquissima illa et perpetua Dorum et Ionum etiam in his rebus dissensio: cujus nomina cum non facile hic omnia enumerari possint, illud universe dixisse sufficiat, Iones, quorum majores, Pelasgicae gentis nomine celebres, mystico quodam usi fuerint

religionis genere, ad quod oraculum Dodonaeum, mysteria Eleusinia et Samothracia, orgia aliaque pristinorum theologorum instituta pertinebant, laetius quoddam et liberius et quasi plasticum ejus genus; Dores contra maxime propter antiquam ipsorum cum Aeolibus et barbaris necessitatem, enthusiasticum quidem sed gravitate quadam et fere tristitia temperatam ac sublimiorem religionem amplexos fuisse. Quae inter eos diversitas tum Dodonaei Jovis, Jonici Apollinis, atque Herculis Dorici forma ac ratione haud male illustratur, tum publicis Atheniensium et Spartanorum sacris, quomodo ea Pláto in Alcibiade II. distinguit; itaque explicari potest illud, quod singulae fere Graecorum civitates diverso utebantur et genere et cultu numinum. Homerus vero et Hesiodus simplici et sincero animo illas a patribus acceptas fabulas digesserant et retractaverant; quo in studio eorum successores cum etiam perfectius ἀνθρωποφύεας θεοὺς adumbrarent, iisque majorem gratiae vim conciliarent, sublimia illa ac pristinae vereque divinae naturae numina paulatim in Chaos antiquum recedebant. Jam apud Homerum fabulae interiorem sensum non habent, quem priore aetate habuisse, ipsa, qua apud eum memorantur, ratio manifestat: ut poetam etiam hac in re coecutire miraremur, nisi Jones ejus aetate eo jam cultus humanitatisque progressi fuissent, ut quidquid fuit severioris, tristioris ac mysticae disciplinae, omnino spernerent, cupientes, ut fabulae lusui tantum et oblectamento, atque cultus deorum religionesque laetitiae potius et voluptati inservirent. Postea subtiliorum poetarum et philosophorum erat abster-

gere, quibus fabulae inquinatae erant; sordes, divinaque majestate quidquid in recentibus diis esset indignum abrogare, atque honestiora et ampliora sufficere: quae Platonis praecipue sententia est, quo ejus rei haud gravior extat arbiter, in Leg. et Rep.; apud quem eo nomine laudantur Pindarus et Simonides, ea laude sane dignissimi. Recentioris hujus cultus superstitio cum fabellarum commentorumque seriorum ineptiis quanquam Graeci vulgi animos tenere coepit tanquam religio antiquitate sancita et inviolabilis: tamen pristinorum numinum cultus antiquus in mysteriorum, *ὧν τέλος ἦν· ἡ τοῦ πρώτου καὶ κυρίου καὶ νοήτου γνῶσις* Plut., penetralibus et Graeciae in remotioribus regionibus et multis in Attices ipsius tribubus remansit. Et Solon Areopagitas patriae religionis custodes et vindices constituerat; cujus auspiciis illud mystice cogitandi, dicendi scribendique studium praeclarissimorum virorum animos adeo incesserat, ut Aeschyli animum ab eo occupatum fuisse non mirum sit. Clistheues vero diversorum cultuum privatos ritus ad unam religionem civilem evexit conciliatos: Aristot. Polit. VI. 2. Schneid. unde non tam deorum, quam festorum dierum, etiam templorum rituumque publicorum in Attica provenisse multitudo paene infinita videtur. Tantum vero abfuit, ut antiquorum illorum numinum cogitatio et memoria ex animis unquam efflueret, ut civitati summo in discrimine versanti venire auxilio supplicibus populi, poeticis a diis diserti, precibus adducta crederentur; *)

---

*) Quin, quod memorabilius est, universe numen divinum vel Incognitum deum, cui et ipsi altaria exstructa veteres

id quod praecipue in Persico bello accidisse narratur: Ritter. Vorh. p. 402., quo bello poetica religionis aetas videtur finita esse. Nam post Persica rerum discrimina civilem istam religionem vis et auctoritas adeo deficere coepit, ut Aeschylus, Aristophanes, al. palam impugnare eam non dubitarent. Philosophorum autem, si a Pythagora, de quo Cap. VI. dixi, discesseris, Anoxagorae, Xenophanis, Socratis et Platonis de divinis rebus sincerior doctrina, qua populus institui aut nollet aut non posset, parum valuit ad vulgarem, quae cum ipsa populi vita et publica et privata quasi coaluerat, superstitionem tollendam. Majore cum successu Sophistae et Epicuraei eam impugnantes meliora non tradebant. Diagoras vero, Theodorus, Euemerus al., deos et fuisse et esse omnino negantes, omnem religionem tollere coepere. Luciani postremo ejusque similium aequaliumque petulantia acerbissima antiquiores de diis rationes non minus ac recentiores prorsus in ora vulgi pro ludibrio abiere. Scepticam hanc graecae religionis aetatem tempora christianae religionis luce illustrata subsequebantur.

Quam ita velut primis lineis graeci cultus historiam designavi, cum rarissima exstent de ea veterum scriptorum testimonia, mancam quidem et exilem, uberius persequi hic non licet, ubi ad Aeschylum est revertendum. Eum recte quidem omnes judicant summam pietatem erga deos praecepisse, civilemque

habuisse jam ex Actis Apostolor. constat, de salute desperantes implorabant auxilium. Quam rem multis modis celebrare solent scriptores ecoesiastici, v. Lactant. de Inst. div. II. Clem. Al. Strom. VI.

cultus rationem emendare studuisse; neque tamen, quod jam ab antiquis scriptoribus proditum est, in aliis dramatibus eum alia de diis docere, saepiusque obscurius de religione loqui, quenquam fugit. Impie vero ubi de popularibus diis et superstitionibus locutus esse Platoni alijsque visus est, ibi reconditiore consilio egisse recte creditur, ut in Prometheo et Eumenidibus, ejusdem argumenti gravitate insignibus fabulis. In Eumenid. enim reperiuntur et pristina numina recentioribus subjecta statim vestibulo, et junioribus diis repugnantes Furiae. Videsis v. 148 sq. 187. et vehementem Apollinis cum iis altercationem 174 — 250: ubi, quamvis occultius, juniorum deorum naturam et mores acerbissime perstringit. Ibid. Furiae non minus ac Prometheus propter originis vetustatem recentibus diis venerabiles, 137 sq. 386 sq. 938 sq., vehementissime de injusto et aspero, quod hi exerceant, imperio 768 sq. conqueruntur. At cultus Furiarum fine fabulae Athenis recipitur, et Areopagi, earum sedis patriarumque religionum quasi asyli sanctitas a protervo antiqua instituta subvertentium impetu defenditur. Alia res est in Prometheo, quae certamen antiquorum deorum cum recentibus ipsum exhibet exemplo illustratum. Et feliciter quidem dii, serius ingeniorum luxurie maximam partem nati cum excelsis naturae et ingenii humani viribus contendunt, eaeque illis apparent inferiores: earum frangitur potestas, nec vero omnino tollitur: nam aliquid vere divini iis insitum est, quod tolli nequit: ea est Promethei excruciati immortalitas!

CAP. VIII.

INTERIOR QUI VIDETUR ESSE TRAGOEDIAE SENSUS. — FATUM. — IO.

Egregium Jovem, qui sit divinator, supplices audiens, clemens, panomphaeus, seu voces ac linguas omnium excipiens, depulsor et aversor omnium malorum, cum eundem Graecorum poetas injustum, sceleratum, iniquum, impium, inhumanum, violentum, stupratorem, adulterum, amatorem fecisse Clemens Al. in Epitr. tradat, Aeschylum potest notasse, qui quem Jovem alibi optimum maximum dixerit, in Prometheo fecit, ut vidimus, improbum, libidinosum, crudelem. Erga inimicos quidem Jupiter salva dignitate asperum sese exhibere potuit, quoniam per Graecorum antiquas rationes in inimicos gravius consulere, ab iisque crudeles vindictas repetere licuit. Quam sententiam nostra aetate alienam veterum et poetae et philosophi excellentissimi amplexi sunt. Laudem adeo habuit, si quis injurias vehementissime ultus fuit, cf. Less. Laoc. p. 43. Quid vero? nonne jam apud Aeschylum Promethei integritas et probitas comparet? et apud Lucianum, qui Aeschylea in Prom. suo haud dubie ante oculos habuit, egregie ille omnes injuriarum ridiculas criminationes repellit. Etiam quae alia,

ut

ut vidimus Cap. VI, exprobrantur Jovi, ut quibus nihil magis abhorreat a majestate deorum, neque luculentius quidquam cum Jovis improbitatem nequitiamque, tum subditorum ei deorum vilitatem testetur, ea ne summae impietatis poetam coarguant, tantummodo consilii, quod secutus est, sublimitate ac sanctitate prohibetur. Jupiter adeo insons hominum genus, secundum fab. (v. 230 sq.) prorsus extinguere constituerat. Quo ab interitu cur homines servasse dicatur Prometheus, explicaturo primum illud tenendum est, de genere humano semel saepiusque diluviis prorsus deleto antiquos populos multa fabulatos esse. cf. Buttmann: Ueber den Mythus der Sündfl. Deinde Caucaseam regionem ut Promethei ipsius, ita hujus quoque fabulae, quae inde a colonis in Europam translata sit, esse patriam putat Ritterus: Vorh. V. 4. Denique Prometheus instante diluvio Deucalioni et Pyrrhae, ut nave aedificata salutem quaererent, suasisse traditur; idemque Jehova Noacho suadet v. Buttm. 2. 2. Atque Aeschylus, quantum ex breviore narratione emergit, eam fabulam, quo humanam salutem Prometheo deberi omnem demonstraret, mutasse videtur. Ejus enim omni modo divinam dignitatem et excellentiam praedicat, neque omnino de antiquis illis numinibus, nisi quod laudem ferat, quidquam tradit, deos recentiores nunquam sine summo contemtu commemorans. Omnino enim priorum temporum Aeschylus si quis alius laudator perpetuus, veterisque disciplinae acerrimus propugnator (ἀρχαικὸς ἦν καὶ σοφός Schol.), quaecunque suae erant aetatis cum indignatione videbat et acerbissime reprehendebat. Hoc qui

Aeschyli mores et ingenium egregie expressit, Aristophanes, non silentio praetermisit. In Nubibus enim (v. 1358 sq.) recentioris disciplinae asseclam ei opponit Euripidem, quem inprimis in Ran. tam accurate describit, ut veteris recentiorisque disciplinae diversitatem, si aliunde cognosci non posset, inde jam cognoscatur. Nam post pugnam Marathoniam, cum Solonis institutis severam vivendi rationem, in agendo probitatem, in cogitando pietatem omnium vitiorum vi et impetu depressas et sublatas esse, idem tradit Pax. 147. 534. Ran. 886. 893. alib. Qua de morum eversione Aeschyli indignatio omnibus ex dramatibus comparet. v. Jac. q. S. p. 173 sq. Neque ulla de re vehementius conqueritur, quam quod excelsa illa antiquorum numinum gens juniorum deorum vilitati et vanitati cesserit cultu suo privata ac ferme ludibrii facta, cujus rei indignitatem, quam etiam in Eumenid. et Supplic. subacerbe adtingit, illustri Promethei exemplo videtur demonstrare voluisse. Idem egit ille veteris disciplinae vindex non lenior, Aristophanes, haud minus recentiores deos ubique carpendo et in Ranis Bacchum etiam mordaciore modo cavillando. Acute id vidit Stanlejus, qui ad Supplicum locum 707, pro re nostra ita loquitur: legem a Triptolemo latam, a Dracone restitutam, respicit Aeschylus, hanc nimirum: *Θεσμὸς αἰώνιος τοῖς Ἀτθίδα νεμομένοις, κυρίως τὸν ἅπαντα χρόνον θεοὺς τιμᾷν καὶ ἥρωας ἐγχωρίους.* Ceremoniarum et rituum patriorum observantissimos fuisse Athenienses, tradit Isocrates in Areopagitica: *ἐκεῖνο μόνον ἐτήρουν, ὅπως μηδὲν μήτε τῶν πατρίων καταλύσωσι, μήτ' ἔξω τῶν νομιζομένων προσθήσωσιν.* Alienigenas tamen deos,

etiam omnium pene gentium, adscitos fuisse, constat ex Aristophanis versu hoc: *Αἴγυπτον αὐτῶν τὴν πόλιν πεποιήκασιν ἀντ' Ἀθηνῶν*, ad quem alludit Cicero l. 2. leg., novos vero deos sic Aristophanes, facetissimus poeta veteris comoediae, vexat, ut apud eum Sabazius et quidam alii dii peregrini judicati e civitate ejiciantur: cll. Lys. Orat. c. Nicom. Quid? quod Eupolis propter vehementem suam in peregrinas istas superstitiones iram in mare esse praecipitatus (v. Schol et Interpr. ad Juven. II. 92. Hor. Ep. 17. 56.) traditur. Etiam Sophocles summe reveretur priscorum deorum sanctitatem: Oed. Col. 40. Ant. 758, et Elect. 112, ubi Reisigius *ἀρχαιογόνων* supplet, mihi vero *τῶν πρεσβυτέρων* s. *τῶν πρεσβυγόνων* excidisse visum est. Notus vero in vulgus Euripides popularis religionis est contemtor. Neque tamen haec ita intelligi volo, ac si aut omnia prioris illa aetatis numina antiquitus culta sint publice, id quod modo de Urano, Terra, Io, Oceano, Prometheo, Eumenidibus al. probari potest (Nitsch, Beschreibung des — Zustand. d. Gr. II.), aut poetae illi hunc cultum omnino tunc revocandum duxerint; verum eo fortasse res redit, ut querantur cum de labante omni veterum disciplina, tum, quod, quae majorum pietas, probitas et verecundia iis numinibus colendis spectata sit et probata, in recentiore cultu locum nec habeat nec pro temporum vicissitudine habere possit: quae res summo sit civitati detrimento. Nam quantam in salutem publicam tuendam religionis ratio habeat vim, nos scimus omnes, et apud Graecos necessitas inter rem sacram et civilem vix satis arcta potest cogitari; adeo illam ipsosque quodammodo

deos reip. proceres semper ex hujus rationibus conformare solebant: Nitsch. ibd. I. p. 642. Boeckh. Haushalt. Athen. II. 254. 59. Aeschyli vero aetate rerum fere omnium periculis et commutationibus factis omnium animi simul commoti et concussi erant: quamobrem fieri non poterat, quin indoctiores quoque e populo de religionum suarum, quibus peritiores tantummodo ad artes et voluptates amplificandas abuti viderent, sanctitate et sinceritate dubitarent. Tum etiam Phrygiae et Aegyptus impudicae ceremoniae et superstitiones, pestis et pernicies civitatis, optimos quosque corripiebant et pessumdabant. Atque Baptis aliisque, qui impiarum istarum cogitationum et religionum civibus autores exstiterant, vehementius haud quisquam succensuit, quam Aeschylus, qui ob rei indignitatem ἀποπτῦσαι δεῖν καὶ καθήρασθαι τὸ στόμα dixit teste Plutarcho. Isid. et Osir. Accessit, quod cum divitiis, omnium malorum quasi materie, luxuria et libidinibus invalescentibus etiam probissimorum animi corrumpebantur, infimi vero homines propter summam egestatem crudeliter vexabantur et ad deterrima quaeque facinora, cum praeter religionem aliam virtutis exercendae causam nullam haberent, facile compellebantur. v. Kortüm. in commentat. vernac. de Cleone (Schweizer. Beiträge I.) et in libro: Hellen. Staatsverf. 5te Beil.

Irruenti igitur huic civium suorum perniciei Aeschylus non aliter obviam iri posse videbat, quam ita, ut abrogatis, quae ludibrio jam erant, religionibus et Cotyos, Sabazii, Cybeles aliisque nefariis orgiis prorsus sublatis, animi sanctioribus et castioribus sensibus imbuerentur. Itaque evenit, ut quae philosophicarum

scholarum aut fortasse mysteriorum parietibus tum celabantur subliniora de divinis rebus dogmata emendatioresque religiones satis cum suo periculo in medium proferre publicumque in usum convertere auderet, atque, cum esset aetate provectior, modo ex prisca Graecorum religione tragicas formas repeteret, easque caste et sancte adumbraret et ostentaret. Neque primus et unus hanc salutis ferendae viam iniit, cum multo jam ante Moses propalata suumque ad consilium adhibita mysteriorum Aegyptiorum doctrina Hebraeos ab interitu servaverit, civitatemque condiderit, quam rem egregie explicatam habemus a Schillero nostro (de Mos. leg. opera Schill. tom. XVI. Ed. 1819.); atque fere idem de Pythagora narratur. Neque tragoediis eum haec efficere tentasse mireris, cum eam populi erudiendi tum aptissimam fortissimamque rationem Capite II., tum tutissimam fuisse, ex Svidae verbis (v. Cap. VI. N.) intellexerimus. — Qua quidem cum dramatis institutione et sententia quomodo res aliae et magni eae quidem momenti cohaereant vel conciliari queant, haud ita facile intelligitur; quarum magna pars ex deperditis trilogiae dramatibus lucem accepisse videatur. Etenim Prometheus officiis Jovi imperium occupanti praestitis gloriatur, et vaticinandi artem callet. Hanc matri Themidi acceptam refert, illa ad bellum cum Titanibus gestum pertinent. Quod enim Titanum ferocissimum genus, satis antiqua fama a Jove magna virium contentione victi perhibentur, id, si ad eundem Jovis suorumque cultum supremo demum studio propagatum commode referunt, in justam aliquam nos interpretationis viam vi-

detur ducere posse. Promethei enim illa officia interpretor politiorem hominum culturam ex perfectiori naturae cognitione profectam, qua invalescens recentiorum deorum auctoritas adjuta est et sustentata. Quid enim? Hellenes, qui a Promethei nepote nomen habent, ubi primum exstiterunt, nec Pelasgorum nec rudioris vitae aut religionis amplius deprehenduntur vestigia. Eidem Prometheo, cui omnium artium prima cognitio tribuebatur, vaticinandi ars, quae insigni antiquorum populorum laude florebat, deesse non potuit. Nam et Jovis interitum, Fato destinatum, et Ius suamque sortem futuram praevidet. Sed pluribus eae res impeditae sunt difficultatibus. Primum difficilis omnis de ratione, quae inter Jovem et fati necessitatem intercedat apud Aeschylum, quaestio est. Multis de ea jam disputatis, qui ultimum inquisivit, Bluemnerus Aeschylum in dramatibus aliis alia tradere contendit (Schicks. Id. p. 122.). Quod per se quidem minus probabile videtur, sed a subtilioribus artis Aeschyleae rationibus, quae propter consilii diversitatem in his rebus minorem constantiam patiuntur, non abhorret. Adeo in ipso Prometheo loca sibi contraria deprehendis; nam ex v. 50, Jupiter ut in ceteris tragoediis, solus liberi arbitrii esse videtur; contra v. 515 sq. ut per omne hoc drama fati necessitati ipse esse obnoxius dicitur. Verum fortasse ex his ipsis locis rei veritas emergit. In altero enim Moerae atque Erinnyes necessitatem fatalem gubernare traduntur. Necessitatem eam interpretor cum naturalem causarum et effectuum nexum, tum maxime aeternas leges, qui

bus scelera vindicantur:*) unde fit, ut eadem appelletur *Νέμεσις*, *Δίκη*, *Αἶσα*. Ea necessitas per totum mundum naturali atque aeterna pollet vi; eadem deorum quoque omnium malefacta, quippe quibus humanam imbecillitatem et perversitatem aequiparent, puniuntur. In his quoque quomodo Aesch. cum Pythagora conspiret, vide Tiedemann. l. l. 489. Erinnyes proprie poenarum sunt exactrices: Choeph. 625., easque Moerae sorores suas nominant: Eumenid. 949. Quae numina, quamvis et inter se et a Necessitate ipsa differant, saepe non accurate distinguuntur. Sunt *κοῦραι Νυκτὸς*, sive aliis ex diis vetustissimis orta. Qua origine docetur, ab ima antiquitate esse transdita, neque a Graecis demum philosophis proposita. Et apud omnes quidem barbaros ejusmodi ultricia laesae conscientiae numina, obscure cogitata, inveniuntur; apud Graecos vero Arcadia, et antiqua illa et perpetua Pelasgicae gentis sedes, earum fuit patria: Pausan. VIII. 4. et 25. Eas igitur par pari ubique reddentes deos a Jove, qui patrem regno expulerat, in Prometheum crudelius consuluerat, Ius integritatem corruperat, mox duras poenas esse sumturas, Prometheus jure praesentiebat; *Μέγα γὰρ δύναται πότνι' Ἐριννὺς παρ' ἀθανάτοις* Eum. 939. Eatenus illis subjectus fuit; eodemque modo explicandae sententiae, quae in prosaicis scriptoribus inveniuntur, de imperio quod Ne-

*) Cicero (Divinat. I, 55.) „Fatum, inquit, appello, quod Graeci *εἱμαρμένην*, i. e. ordinem seriemque causarum, cum causa causae nexa rem ex se gignat; ea est ex omni aeternitate fluens veritas sempiterna."

cessitas in omnes deos exercet: Herod. I. 92. At vero si Jovis sociae, eique submissae illae deae dicuntur, iis significatur justitiae vis, quam praecipue ad humana et terrestria pertinentem Jupiter exercet Moeragetes, quo tum ipso sublimis illa philosophorum omnibus partibus absoluta ac perfecta Numinis supremi forma, mente ac cogitatione concepta exprimitur. Atque étiam tum Jupiter dici solet tantummodo ex immutabili Necessitatis s. Moerae arbitrio agere; estque *Νεμέσωρ* s. *Ταμίας*, atque illius quasi manus. Eadem lege fortunae vim regit, quam, praesertim si ad singulos homines refertur, indicant *Τύχη*, *Δαίμονες*; quae Jovis filiae exculta demum poesi, etsi ante Homerum, exortae sunt. Apud hunc quidem fatum omnino ab arbitrio Jovis pendet; omnesque dii, ipsi fratres Jovi obsequium praestant. Il. VIII, 17. 38. 440.; IV, 52.; XIII, 355.; ab eoque puniuntur Il. II, 580. XV, 117. VIII, 12. XV, 137. In hac re Homerum Aeschylus secutus, non Fati sed ceterorum deorum respectu habito dicit in altero loco: ἐλεύθερος γὰρ οὐδεὶς πλὴν Διός." — Porro de nuptiis illis perniciosis, quas cum Thetide Jupiter parabat, aegre certius quidquam afferas. Uranus quidem et Saturnus, (mysticae et physicae de diis rationes), quum, maxime quia cum peregrinis numinibus coaluerant, valere jam desiissent, Aeschylus, fore ut vis cultusque Jovis (h. e. poeticorum deorum) eadem ratione abolesceret, recte praevidebat. Quod cum per filium Thetidis eventurum esse dicat, éaque Phthiae patria sit dea: notandum est, Phthiam Hellenum, a Promethei nepote oriundorum, genuinam sedem fuisse; eorumque antiqua sacra auctoritatem

in Graecia recuperatura Aeschylo fortasse visa esse. Etiam qui ejus in his rebus simillimus est, γέγονε δὲ κατὰ τοὺς χρόνους Αἰσχύλου, καὶ συγγεγένηται αὐτῷ (Thom. Mag. Πινδ.), Pindarus Isthm. VII, 27 — 36. eam rem commemorat: sed additis verbis: ἀλλὰ τὰ μὲν παύσατε orationem abrupens, nescio an arcanae doctrinae haec esse prodit. Eodem pertinet, quod Thetis ἀγλαόκαρπος Nem. III. 54. vocatur. Atque si consideras, qualem quantumve eum Jovis victorem illi poetae describant, adeo veram supremoque deo dignam formam illorum menti obversatam esse opineris. cf. Apollon. IV, 791. 800.; Tzetz. Lycoph. 178. Hygin. I. 54. Jus denique quod ad omne drama faciat introductio, intellectu difficilius. Est ea quidem Inachi, Oceanitidum fratris filia, et quamquam ferae inservit deorum recentium asperitati exprobrandae, nihilominus tamen res altius est arcessenda. Primum memoratu non inutile videtur, eam dici non modo unam fuisse cum Iside, sed etiam filiam Promethei, a Plutarcho, Clemente Al. al. Ita enim arctissima horum numinum conjunctio indicatur. Deinde Prometheus virginem summa jam injuria affectam aliquando miseriarum finem adepturam et Epapho genito deam futuram, ejusque ex nepotibus, qui ipsum suis liberet vinculis, exstiturum esse vaticinatur. Quae si rata fiebant, (quod factum indicatur Aesch. Suppl. 301 sq. Eurip. Phoenix 687 et Schol. ad 633.), prospero malorum exitu et Io et Prometheus quodammodo in integrum restituebantur. Ea est enim apud Graecos et trilogiarum omnino et singularum tragoediarum natura, ut ad extremum ipse totius fabulae exitus animos no-

stros cum deorum vel fati asperitate reconciliet. Propter deperdita vero dramata et obscuram nonnullorum rationem saepe difficilius est, qua poeta via huc tenderit, cognoscere. Id qua arte et ratione in Prometheo poeta assecutus sit, etsi accurate demonstrari nequeat, hujus tamen indolis et institutionis fuisse drama trilogiae ultimum, cujus his fragmenta addita sunt, facile intelligitur. Namque etiam Io ad priorem deorum gentem pertinet. Inachus enim, pater ejus, Oceani filius ex Thetide fuit, maxime Argivorum cultu celebris deus. Quisquis vero fuit, eum de Pelasgis, Argolidem tum incolentibus, deque ipsa hac terra immortaliter meritum esse, indeque divinitatem cultumque accepisse, certum videtur. Phoroneo et Aegialeo filiis etiam celebrior filia Io est et miseria sua, quam Aeschylus satis exponit, et cultu, quo apud Aegyptios et Phoenices inde ab antiquissima aetate floruit. Quos lunam eo nomine adoratos esse ex ipso ejus nomine, ex forma cornuta aliisque indiciis colligitur. Quam dignitatem cum apud Cretensem gentem proprie Juno haberet, hujus cultu invalescente illius divina vis et auctoritas apud Graecos quidem imminuta est (hinc, ut Prometheus cum Vulcano juniore, ita ea cum Junone ficta est: Paus. III. 197.); neque tamen apud Phoenices et Aegyptios, (et apud hos quidem recentiore Isidos nomine clara) aliosque apud populos dea cultu divino ornari desiit. Ea vero esse videtur Io, Junonis invidia in vaccam mutata et ad Aegyptum usque exagitata, cui fabulae quae adduntur de Argo et Oestro, perinde atque illa cum fabula Promethea conjuncta narratio de vulture hepar dei saxo affixi

comedente, dictionis orientalis vel poeticae sunt parum saepe intellectae verbotenusque explicatae. Eadem vero, cum Inacho advenae facile successisset, ut Pelasgi, suae religionis formam numenque, paulatim reciperent, ejus filia videtur credita esse; quae oraculo Pelasgorum Dodoneo vel Jovis uxor est declarata Prom. 800. Danaides vero, ab eadem originem repetentes ibd. 830., seriore aetate ejus, Isidis jam factae cultum Argos adtulisse alibi traduntur. Quarum adventum Aeschylus in Suppl. enarrans recentiorem deorum cultum Argis tunc jam praevaluisse prodit; adeo κληδοῦχος Ἥρας v. 294. Io jam facta erat. Atque Apim, quem Herodotus aliique Graecum Epaphum, illius filium esse narrant, Aeschylus prorsus alium, et Apollinis filium, a meritis divinitatem adeptum facit. Neque minus haereas in eo, quod novis diis, patriorum quasi immemores, profugae illae virgines statim sacra faciunt, etiam quod Pelasgorum, quibus Danaides mysteria quaedam attulerunt (Herod. II, 171.), fines accurate circumscribuntur, ab iisque regia Argivorum gens deducitur, ac Graeci Iaones appellantur, consilio factum esse puto. At et plura et graviora si non mysticarum, certe subtiliorum poetae rationum argumenta, quam quae h. l. satis illustrari queant, in Supp. invenias: in quo dramate etiam illud est notandum, quod, ubi memorabile aliquid de hisce rebus poeta dixit, nunc lacunae sunt. Ad Prometheum vero ut redeamus, apparet, quod in ea putetur de Io ἐπεισόδιον inesse, eo egregio cardine niti Promethei Vincti et Soluti arctam conjunctionem dramatumque eorum, argumento jam cohaerentium compagem perfectissimam,

Cujus tragicae artis alia exempla proposuit Boeckh. tr. gr. pr. XVI. — Res ceterae hujus tragoediae non ad vivum resecandae videntur, nisi forte graecas tragoedias, quae vim et sententiam quandam contineant, perfectas allegorias esse voluerimus. — Opinionis autem nostrae de sententia totius tragoediae alia supersunt argumenta, atque haec quidem primum ex eo, quod Aeschylum ab antiquis Pythagoreum et mysticum dictum esse (Cap. V.) vidimus, repetita. Pythagoreorum enim doctrinae dediti et heroes de salute humana meritissimos et insignes naturae vires colebant deos, contemtis poeticis fictitiisque populi diis. Maxime memorabilis eorum de heroibus doctrina fuit. Et Hierocles ad illud Pythagorae ἔπειθ᾽ ἥρωας ἀγαύους-οὗτοι, inquit, ἦσαν τὸ μέσον γένος τῶν λογικῶν οὐσιῶν, οἱ μετὰ θεοὺς τοὺς ἀθανάτους τὴν ἐφεξῆς πληροῦντες χώραν προηγοῦνται τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως, καὶ συνάπτουσι δι᾽ ἑαυτῶν τὰ ἔσχατα τοῖς πρώτοις." Secundum eam doctrinam verba Aesch. Prom. 116. explicanda esse, interpretes recte viderunt; neque vero minus omnis in Prometheis de Hercule et Prometheo enarratio (v. Cap. XII) eo referenda est. cf. Tiedeman. Griechenl. aelt. Philos. p. 401 — 9. Praeterea theologiam physicam, doctorum ac philosophorum solam religionem laudat etiam Cicero N. D. I. 24. Denique ipsius Promethei apud Pythagoreos amplam significationem dignitatemque declarat Olympiodorus ad Plat. Phileb. p. 246. 47. Stallb., atque Prometheo vel Pyrrhae comoediis pythagorica dogmata vulgasse constat Epicharmum et comicorum principem et philosophum pythagoricum. v. Fabric. Bibl. gr. II. c. 19. De my-

steriis vero Villoison (l. de tripl. theol.), quamquam non omni parte vere et accurate, disputavit haec: „In doctrina mysteriorum esoterica, quae tota physica innitebatur theologia, ea tradebantur, quibus mythica et civilis ita funditus everteretur theologia, ut velum superstitione obductum, poetica suavitate ornatum et potenti eorum, qui remp. administrabant, manu sustentatum penitus removeretur, et sola natura, unica theologiae physicae dea, secum habitans et orbi tanquam altari insidens, ac subjecta pedibus falsorum vulgi numinum simulacra proterens sese oculis offerret." Idem p. 27. ita pergit. „Tenendum est, in sacris mysteriis non ea solum oculis fuisse subjecta quae artium utilium inventionem adumbrarent (quod plurimis veterum locis declarari potest), sed simul quoque propositum initiatis horum inventionum mercedem amplissimam, immortalitatem vel potius divinitatem, qua post mortem fruebantur, ut canit Virgilius:

„Inventas aut qui vitam excoluere per artes,
Quique sui memores alios fecere merendo.

Item Sainte - Croix: Myster. p. 405. „Les fondateurs des colonies et les anciens législateurs avoient un grand intérêt à perpétuer parmi les nations, qu'ils avoient civilisées, le souvenir des services qu'ils leur avoient rendus sq. Postremo Robertellus ad reprehensiones suas in Prom. 4. 5. 19.: Aesch. fuit in animo philosophus cum esset et Pythagoreus, reprehendere veterum religionem, et deos illudere, quos colebant, quod non sine periculo unquam aggressi sunt efficere philosophi, ideo occulta quadam ratione talem recitationem paravit inter homines, ut spernerent cultum

ejusmodi." Sed mysticam seu potius philosophicam illam tragoediae sublimitatem alii quoque viri docti odorati sunt. Nam Joh. Muellerus, „sermo est, inquit, deum hominumque secreta docentis, adeoque grandis incipit, progreditur, terribili tandem rerum naturae fragore ita confunditur, ut nostra imbecillitas cuique patescat." Idem habet ad v. 956: „Primos mortales admiratione coeli perculsos (id Uranos), post consuetudine (Saturnus aevum est), tandem ex mythologiae politiore systemate deos coluisse dicit. Venturum qui exemplo audacter superum metu eripiat fulmenque Jovi Phoeboque sagittas, Aeschylus, Anaxagora jam docente, praevidere poterat. Nec sane haec tragoedia pietatem spirat: adeo ut auctor, indigna passus, fessus labore vitae ex Promethei persona deos ipse incusari videri possit. Scholiastes pro Urano ante Saturnum Ophionem gigantem innui credit; ejus fabula obscuriori (van Staveren ad Hygin. p. 4.) primos ex diis terrores designari crediderim." Idem: „partes μύθου res Graecorum eo aevo publicas tangunt, ut maxima quaeque potius delibari, quam tractari videantur." Sane delibantur tantummodo, quae sapientioribus quidem aequalium satis cognita, superstitiosis populi non minus quam litigosis animis (v. Kortüm. l. l. 185.) cum periculo etiam majore Aeschylus proposuisset apertius: quamquam in priore fabulae adornatione (v. Crit. Observ.) non incertiore conatu impugnasse potest religiosum istud animorum velut servitium, quam quo civilem populi sui libertatem in bello defendit. Deinde Sancrucii verba (l. l. I.) afferrem, nisi fusius et audacius viderentur dicta. Egregie vero

mea confirmari video iis, quae celeberrimus Fr. Schlegelius eandem in sententiam disputat: Geschichte d. alt. u. neuen Litt. 1815. I. p. 39. „Es geht durch alle Werke des Aeschylus eine und dieselbe tragische Weltansicht hindurch. Der Untergang der alten Götter und Titanen, und wie ihr erhabenes Geschlecht durch ein jüngeres schlaueres Geschlecht von geringerem Werthe besiegt und verdrängt worden sey, das ist der beständige Gegenstand, wohin alle seine Darstellungen und Klagen zielen; also die ursprüngliche Erhabenheit und Gröſse der Natur und des Menschen, und wie beide allmählich in Schwäche und Gemeinheit versinken. Doch erhebt sich ihm aus den Trümmern einer untergehenden Welt die alte Riesenkraft hier und da, wie im Prometheus, immer noch kühn und frey, im Innern unbesiegt." Quem locum cum hoc libello meo perlecto amicus mecum communicasset, dicere vix possum, quo me gaudio tanti viri tanta in re assensus perfuderit.

CAP. IX.

DE PROMETHEI SOLUTI ET IGNIFERI FRAGMENTIS.

De Prometheo V. quae hactenus dicta sunt, reliquum est, ut, quomodo fragmentis deperditorum trilogiae dramatum confirmentur, doceatur. Iis autem, Promethei Soluti plane eandem fuisse atque Vincti rationem, et institutionem, luculenter ostenditur. Accedunt ibi, si conjecturae datur locus, ad Prometheum Titanes, Terra jam praesente, ac primum, quantum itineris ad Prometheum visendum fecerint, enarrant. (Fragm. I. V.) Iisdem et consanguinei immeritam miseriam conquerentibus, et ad cedendum cohortantibus Hercules intervenit, qui declarata sua ex Ius filio origine, celebrata Ius divinitate, atque itineribus, quibus hominum saluti consulens ad Prometheum pervenerit, expositis, de laboribus, qui adhuc ipsi restarent exantlandi, certior factus, (Fragm. II. VI. VII. VIII. X.) amice eum cohortando commovet, ut vaticinium de nuptiis aperiat, Jovisque in gratiam redeat. Divinae Herculis dignitati cedens Prometheus solvitur. (cf. Pausan. V. p. 46. Fac.) Inde ab hoc tempore firmam amicitiam contraxisse Prometheum et Herculem conjeceris

jeceris ex alia fabula, quae legitur in Schol. ad Apollon. IV. 1399. cll. Fragm. IV. Ea, quae posterioris dramatis ratio fuisse videtur, universo, quod poeta secutus est, dramatum consilio optime convenit: nam oppressum quidem injustissime Jovis vi Promethei vetustum numen, h. e. ejus cultus in Graecia sublatus et in Caucaseas, unde venit, regiones injuria est relegatus; postea vero Prometheus aeque atque Hercules heroum nomine insignes facti satis amplo cultu gaudebant. Sed ipsa videamus fragmenta:

I.

Strabo I. p. 33.: *Οὕτω τὰ μεσημβρινὰ πάντα Αἰθιοπίαν καλεῖσθαι, τὰ πρὸς Ὠκεανῷ. Μαρτυρεῖ δὲ τὰ τοιαῦτα· ὅ,τε γὰρ Αἰσχύλος ἐν Προμηθεῖ τῷ λυομένῳ φησὶν οὕτω·*

Φοινικόπεδόν τ' ἐρυθρᾶς ἱερὸν
Χεῦμα θαλάσσης,
Χαλκοκέραυνόν a) τε παρ' Ὠκεανῷ
Λίμναν παντοτρόφων b) Αἰθιόπων,
Ἵν' ὁ παντόπτης c)
Ἥλιος αἰεὶ χρῶτ' ἀθάνατον
Κάματόν θ' ἵππων θερμαῖς ὕδατος
Μαλακοῦ προχοαῖς ἀναπαύει.

a) f. *χαλκοκέραςον.*

b) al. *παντοςρόφων.* f. *ποντοτρεφῶν* s. *πόντοστεφῶν* cf. Casaub. in Strab. ad h. l. „Titanes dicunt, se tantum terrarum spatium ad visendum Prometheum esse emensos."

c) *πανόπτης,* ut Prom. V. 91.

II.

Idem IV. p. 183.: *τὸ μέντοι δυσαπολόγητον Αἰσχύλος καταμαθὼν, ἢ παρ' ἄλλου παραλαβὼν εἰς μῦθον ἐξετό-*

πισε· φησὶ γοῦν Προμηθεὺς παρ᾽ αὐτῷ καθηγέμενος Ἡρακλεῖ τῶν ὁδῶν τῶν ἀπὸ τοῦ Καυκάσου πρὸς τὰς Ἑσπερίδας·

Ἥξεις δὲ Λιγύων εἰς ἀτάρβητον ςρατόν,
Ἔνθ᾽ a) οὐ μάχης, σάφ᾽ οἶδα, καὶ θοῦρός περ ὢν
Μέμψῃ b), πέπρωται γάρ σε καὶ βέλη λιπεῖν
Ἐνταῦθ᾽, ἑλέσθαι δ᾽ οὔτιν᾽ ἐκ γαίας λίθον
Ἕξεις. ἐπεὶ πᾶς χῶρος ἐςὶ μαλθακός.
Ἰδὼν δ᾽ ἀμηχανοῦντα σ᾽ ὁ Ζεὺς οἰκτερεῖ,
Νεφέλην δ᾽ ὑποσχὼν c) νιφάδι ςρογγύλων πέτρων
Ὑπόσκιον θήσει χθόν᾽. οἷς ἔπειτα σὺ
Βαλὼν διώσεις d) ῥαδίως Λιγὺν ςρατόν.

a) ὃν οὐ — Post. εὖ οἶδα — cf. Dionys. Hal. Ant. I. 41, qui priores tres versus habet.

b) f. μέμψει.

c) f. ὑπερσχὼν et ςρογγύλων νιφάδα πέτρων.

d) Hi versus vulgo ita leguntur:

— — — χθόνα οἷς ἔπειτα συμ —
βαλὼν δῃώσεις (f. recte) ῥαδίως —

V. Salm. Exercit. Plin. p. 42. De re cf. Hygin. Poet. II. 6.

III.

Plutarch de Fortuna p. 98. Νῦν δὲ οὐκ ἀπὸ τύχης, οὐδὲ αὐτομάτως περίεσμεν αὐτῶν καὶ κρατοῦμεν, ἀλλ᾽ ὁ Προμηθεύς, τουτέςιν ὁ λογισμὸς, αἴτιος,

Ἵππων ὄνων τ᾽ ὀχεῖα καὶ ταύρων γονὰς
Δοὺς, ἀντίδουλα a) καὶ πόνων ἐκδέκτορα.

κατ᾽ Αἰσχύλον. — cf. Prom. V. 465.

a) ἀντίδωρα, v. de Sollert. Animal. cap. 7. : ubi etiam ἀνδέκτορα p. ἐκδέκτορα. —

IV.

Id. in Pomp. Πρὸς δὲ Πομπήϊον ἔοικε τοῦτο παθεῖν ὁ Ῥωμαίων δῆμος εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς, ὅπερ ὁ Αἰσχύλου

Προμηθεὺς πρὸς τὸν Ἡρακλέα σωθεὶς ὑπ' αὐτοῦ καὶ λέγων·

'Εχθροῦ πατρός μοι τοῦτο φίλτατον τέκνον.

V.

Arrianus in Peripl. Pont. Eux. p. 12. Αἰσχύλος ἐν Προμηθεῖ λυομένῳ τὸν Φᾶσιν ὅρον τῆς Εὐρώπης καὶ τῆς Ἀσίας ποιεῖ. Λέγουσιν γοῦν παρ' αὐτῷ οἱ Τιτᾶνες πρὸς τὸν Προμηθέα, ὅτι

— — — ἥκομεν
Τοὺς σοὺς ἄθλους τούσδε, Προμηθεῦ,
Δεσμοῦ τε πάθος τόδ' ἐποψόμενοι."

Ἔπειτα καταλέγουσιν, ὅσην χώραν ἐπῆλθον·

— — — ᾗ a) μὲν δίδυμον
Χθονὸς Εὐρώπης μέγαν ᾗ a) δ' Ἀσίας
Τέρμονα Φᾶσιν.

a) pro ᾗ vulgo τῇ, contra metrum.

Haec verba ad prologum, quem dixerint Titanes, pertinere, declarat locus, quem excitat Blomfieldius (Praef. ad Pers. XIV.), Procopii de Bello Goth. IV. p. 579. A. ἀλλὰ καὶ ὁ τραγῳδιοποιὸς Αἰσχύλος ἐν τῷ Προμηθεῖ λυομένῳ, εὐθὺς ἀρχόμενος τῆς τραγῳδίας, τὸν ποταμὸν Φᾶσιν τέρμονα καλεῖ γῆς τε τῆς Ἀσίας καὶ τῆς Εὐρώπης. Hujus loci ope anapaestos illos Blomfieldius sic restituit.

Τῆς μὲν δίδυμον χθονὸς, Εὐρώπης
Μεγάλης τ' Ἀσίας τέρμονα, Φᾶσιν.

VI.

Galenus Comm. I. ad Hipp. VI. de Morb. Epidem. Αἰσχύλος ἐν Προμηθεῖ δεσμώτῃ (?)

Εὐθεῖαν ἕρπε τήνδε, καὶ πρώτιςα μὲν
Βορεάδας ἥξεις πρὸς πνοιαῖσιν, εὐλαβοῦ a)
Βρόμον καταιγίζοντα, μή σ' ἀναρπάσῃ
Δυσχειμέρῳ πέμφιγι συστρέψας b) ἄφνω.

a) πρὸς πνοάς· σὺ δ' εὐλαβοῦ - πρὸς πνοὰς, ἵν' εὐλαβοῦ, utrumque ex conjectura.

b) v. τρέψας. Bentl. ad Mill. p. 501.

VII.

Idem ibd. Ἐπὶ δὲ τῆς ῥανίδος ὁ αὐτὸς φησιν ἐν Προμηθεῖ·

Ἐξευλαβοῦ δὲ, μή σε a) προσβάλλῃ ςόμα
Πέμφιξ· πικροὶ b) γὰρ κ' οὐ διὰ ζωῆς ἀτμοί.

a) μήδε.

b) πικρὰ. v. Bentl. ibd.

VIII.

Steph. Byzant. in v. Ἄβιοι, Αἰσχύλος τε Γαβίους φησὶν διὰ τοῦ γ, ἐν λυομένῳ Προμηθεῖ·

Ἔπειτα δ' ἥξεις a) δῆμον ἐνδικώτατον
Θνητῶν b) ἁπάντων, καὶ φιλοξενώτατον,
Γαβίους, ἵν' ὔτ' ἄροτρον ὔτε γαπόνος
Τέμνει δίκελλ' ἄρουραν, ἀλλ' αὐτοσπόροι
Γύαι φέρυσι βίοτον ἄφθονον βροτοῖς.

a) ἥξει.

b) Θνητῶν v. om. Valken. ad Theocr. Adon. supplet Σκυθῶν.

Eum locum commemorant etiam Strab. 4. Eustath. ad H. XIII. p. 916. v. Hermanni Observat. Crit. in Aesch. et Eur. Cap. I.

IX.

Aesch. in v. Εἰσαφάσματα· εἰσπτήματα· ἀπὸ τῦ εἰσαφίεναι· ἢ σπαράγματα. Αἰσχύλος Προμηθεῖ λυομένῳ

Item vocem Ἀρειθύσανοι Eustathius Il. E. p. 600 excitat. Hujusmodi exiliora et incertiora ex Strabone VII. 3. VI. 1. fragmenta laudat Schützius (Fragm. Prom. 188. 189. 190.)

X.

Hyginus Astronom. Poet. II. 6. Aeschylus in fabula, quae inscribitur Προμηθεὺς Λυόμενος, Herculem ait esse non cum dracone, sed cum Liguribus depugnantem. Cujus belli in hac fabula Aeschylum meminisse, testis est etiam Dionysius Halicarnassensis. Antiquit. Rom. I, 27. cf. Fragm. II.

XI.

Scholiastes Apollonii Argonaut. IV. 284. τὸν Ἴςρον φησὶν ἐκ τῶν ὑπερβορέων καταφέρεσθαι καὶ τῶν Ῥιπαίων ὀρῶν. ὅτω δὲ εἶπεν, ἀκολουθῶν Αἰσχύλῳ, ἐν λυομένῳ Προμηθεῖ λέγοντι τοῦτο.

XII.

Prostremo Athen. Deipns. XV. 4. reperitur locus, quo Prometheus gravissimis vinculis exemtus leviorem poenam subiise traditur eam, ut caput alligata corona circumdaretur, Προμηθεὺς τίσιν ἑκούσιον ἐν ἀλυπίᾳ κειμένην δοῦναι θελήσαντος ταύτην ἔχειν ἐπιτάξαι τὸν καθηγούμενον τῶν θεῶν, ὅθεν ἀπ᾽ ἐκείνου τὸν δεδηλωμένον ςέφανον τῷ Προμηθεῖ περιγενέσθαι. Rem ex Prometheo Aeschyli Soluto repetitam esse, ex verbis, quae paulo post sequuntur, intelligitur: Αἰσχύλος ἐν τῷ λυομένῳ Προμηθεῖ σαφῶς φησιν, ὅτι ἐπί τε τιμῇ τοῦ Προμηθέως τὸν ςέφανον περιτίθεμεν τῇ κεφαλῇ ἀντίποινα τοῦ ἐκείνου δεσμοῦ. Conferendum fragmentum Sphingis ap. Athen. 13.:

Τῷ δὲ ξένῳ γε ςέφανον. ἀρχαῖον ςέφος
δεσμῶν ἄριςος, ἐκ Προτηθέως λόγου f. *λύγου.*

Eandem rem explicant Plin. I. 33. XXXVII, 1. Rhodigin. XIX, 6. al. Sunt vero, qui malint, Prometheum jussum esse gestare annulum digito; Hygin. Poet. astron. 2, 15. In poenae memoriam hoc accidisse Prometheo plerorumque est sententia; aliter secundum Athenaeum rem instituisse Aeschylus videtur, qui eo quod hoc patrati maleficii indicio illum dixit levius ac mitius punitum, cultum ejus non omnino quidem exterminatum, sed addita quasi levis maculae nota antiquatum indicavit. „*πολαχοῦ δὲ καὶ αὐτὸς δημιουργὸς καὶ ποιητὴς ἰδίων ὀνομάτων καὶ πραγμάτων*" de Aeschylo Dion. Halic. A. Script. Cens. p. 422.

XIII.

Denique in Ciceronis Tusc. disput. II. 10., ex latina quidem Attii interpretatione reperitur fragmentum. Ibi de dolore, num malum sit nec ne, agitur; esse malum ex poetis, qui viros magnanimos non viriliter lamentantes fecerint, concluditur: „Veniat Aeschylus, non poeta solum, sed etiam Pythagoreus, sic enim accepimus; quomodo fert apud eum Prometheus dolorem, quem excepit ob furtum Lemnium!

Unde ignis cluet immortalibus
Divis olim doctu' Prometheus
Clepsisse dolo, poenasque Jovi
Fato expendisse supremo." Prom. V. 8. sq.

Has igitur poenas pendens affixus ad Caucasum dicit:

Titanum soboles, socia nostri sanguinis,
Generata Coelo, adspicite relegatum asperis

Vinctumque saxis; navem ut horrisono freto
Noctem paventes timidi adnectunt navitae.
Saturnius me sic infixit Jupiter;
Jovisque numen Mulcibri adscivit manus.
Hos ille cuneos fabrica crudeli inserens
Perrupit artus: qua miser sollertia
Transverberatus castrum hoc furiarum incolo.
Jam tertio me quoque funesto die
Tristi advolatu, aduncis lacerans unguibus,
Jovis satelles pastu dilaniat fero.
Jam jecore opimo farta et satiata affatim
Clangorem fundit vastum, et sublime avolans
Pinnata cauda nostrum adulat sanguinem.
Quum vero ad esum inflatu renovatum est jecur,
Tum rursum tetros avida se ad pastus refert.
Sic hunc custodem moesti cruciatus alo:
Qui me perenni vivom foedat miseria.
Namque, ut videtis, vinclis constrictis Jovis,
Arcere nequeo diram volucrem a pectore.
Sic me ipse viduus pestis excipis anxias,
Amore mortis terminum acquirens mali.
Sed longe a leto numine aspellor Jovis,
Atque haec vetusta saeclis glomerata horridis
Luctifica clades nostro infixa est corpori:
Ex quo liquatae solis ardore excidunt
Guttae, quae saxa assidue instillant Caucasi.

Vix igitur posse videmur ita affectum non miserum dicere: et, si hunc miserum, certe dolorem malum." — Quibus Promethei verbis efficitur, eum tertio jam die rupi iterum adhaerere, Titanum uti societate, animum vero praestare placabiliorem. Jam cedere vi-

detur Jovi et intellexisse, ei se facilius satisfacturum, si ejus plaga perculsus afflictum se et stratum esse fateatur. In quibus omnium maxime illud animadvertendum est, quod Caucaso Prometheus dicitur affixus, ejusdèmque jecur quotidie recrescens ab aquila consumi. Vides enim etiam ex eo arctissimam utriusque dramatis necessitatem, quod praedixerat illa mala Mercurius, Prometh. 1020. *Μακρὸν δὲ μῆκος* cet. At loci et temporum ratio parum sibi constat. In priore enim dramate cum Prometheum alligatum fuisse Caucaso, ipsis verbis non designetur, nescio cui Scythiae Europaeae saxo illum adhaesisse; Scholiastes. ad v. 1. *ἀπὸ τῶν πρὸς τὴν Ἰὼ λεγομένων* conjecit, versum 719. haud dubie respiciens. Ibi vero verba *πρὸς αὐτὸν Καύκασον, ὀρῶν ὕψιστον* si non contrarium convincunt, certe dubiae explicationis sunt, et Schützius (ad Prom.) magis versu 411. Scholiastae, qui sibi et ipse (cf. 397. ad v. 719.) in ceteris repugnat, sententiam confirmari putat, ubi inter gentes Prometheo alligato vicinas ultimo demum loco nominentur Caucasi accolae. Sed primum Scythae quoque hoc l. demum, ut etiam v. 709. nominantur, neque, si quis, quae proxime adsunt, ultimo recenseret loco, ab oratione poetica abhorrere putarem, et aperte Prometheus ordine hoc inverso utens ab remotissimis Asiaticis ad propiores sibi populos Colchos, Scythas eosque, *οἳ πέλας νέμονται,* pergit. Deinde *ὑψοκρημνὸν πόλισμα Καυκάσου* conjungendum et ipsa esse urbs *Καύκασος* videtur, aut celeberrimum oppidum Caucasei jugi. Etenim jugum Caucaseum versus occidentem citra paludem Maeotidem in mediam usque Scythiam Europaeam et septentrionem ver-

sus ad glaciales oras procurrere veteres putarunt (v. Schol. B. 2. Γ. 118. A. 719. Arrian. Exp. Al. V. 5. Ovid. Met. VIII. cll. Heeren. Ideen d. Polit. I. p. 66. Ritter Erdkund. II. Palude quidem illa et Bosporo Cimmerio Europam ab Asia sejungi, alii crediderunt: Herod. IV. 45.; alii vero ipso Caucaso Colchico ad Caspium usque mare orientem meridiemque versus protendente (Agathemerus ed. Huds. I. p. 3.); et Aeschylum credidisse, Phaside utramque terram dividi, coarguunt Arrian. Peripl. P. Eux. p. 12. atque Procop. Bell. Goth. IV. 579. (cf. Fragm. Aesch. V.;) eaque opinio vulgaris fuit. Sed caveas, Colchicum Phasin intelligas apud Aeschylum, qui, ut Orpheus (Argonaut. V. 1055.) eo nomine in Maeotidem defluentem Hypanin significaverit; eundem dicit V. 790. ῥεῖθρον, ἠπείρων ὅρον. cf. Ritter. Vorhall. p. 189. 320 sq. Hic et omnem circa paludem Maeotidem qui habitabant populi, dicebantur Scythae, ipso Aeschylo teste v. 447.; inde illud initio tragoediae Σκύθην εἰς οἶμον.*) Jam procul a Maeotide supra Euxinum affixi Promethei locum apud Aeschylum esse, ex Ius migratione apparet. Ea enim Argis et Cenchrea profecta ad Molossos Dodonamque pervenit, unde per littora Adriatici sinus occidentem versus vagata, itinere ad septentrionem, sed simul orientem versus in Scythiam converso, tandem in occidentali et septentrionali Caucasei jugi parte

*) Latiori hoc sensu Scythia Deucalionis et Promethei patria dicitur (v. C. V.), quampropter non est, quod cum aliis et Buttmanno (Myth. d. Sündfl.) haereamus in loco Luciani D. Syr., ubi Deucalioni cognomen Scythae quasi prorsus cognitum adtribuitur.

Prometheum alligatum invenit. Ad orientem et meridiem conversa inde vagatur per incultos terrae tractus Scytharumque Nomadum convicinia: tum littus P. Euxini legens cogitur summum ascendere Caucaseum apicem, quia flumen quoddam a summo Caucaso prorumpens rectam viam impedit; inde per Amazonum fines ad Bosporum Cimmerium defertur; quo trajecto Hypanis ostium ei obstabat ad orientem procedenti. Eum utriusque terrae terminum transgressa perque mare Caspium et fabulosas terras delata tandem ad Aethiopes et Nilum pervenit.

Haec cum fere omnia bene cohaereant, non erat, cur ipso nomine poeta significaret Caucasum, quem spectatores ante oculos in scena haberent positum, atque Promethei miseriarum locum a patribus traditum accepissent. Contra si ab antiqua traditione discessisset, cujus rei causam nullam probaveris, hoc vel Aeschylus ipse, vel antiqui scriptores adnotassent, e quibus nonnulli adeo Aeschylum respicere videntur dicentes, Jovis jussu deligatum esse Prometheum in monte Caucaso ad saxum clavis ferreis. Postremo, si res aliter se haberet, illud poetae exprobrares, quod contra omnem veritatis speciem Prometheus plane diverso ex loco, quam quo conditus esset, postea in lucem reversus conspiceretur. Ad vivum quidem si singulas res in illa itineris descriptione resecare volueris, ingenue fateor, haerebis; verum non hic querendum est, ubi terrarum Gryphes, Arimaspes cet. vere habitaverint, sed, ubi poeta eos habitasse finxerit (Muell. Dor. II. p. 177.), et rectissime Herm. ad Sophocl. El. v. 4.: „Vehementer, inquit, falluntur, qui tragicorum verba in

hujusmodi rebus ad veros locorum situs exigunt. Non secus Athenis, quam hodie apud omnes, qui theatra habent, illud spectabatur, quod in scena repraesentatum erat, ubi satis erat, cerni quae fama nota essent, etiamsi et specie et situ multum a veris differrent." De locorum diversitate, quam in Orestiade videmus, plane aliter statuendum est: neque magis temporum diversa ratione, quae ibi obtinet, offendimur. Etenim Agamemnonis atque Choephorarum actiones longo temporis interjecti spatio distant, et annorum quidem, intra quos Orestes adultus est, spatio. Inter Prometheum utrumque longum temporis spatium intermissum esse, testantur verba: *μακρὸν δὲ μῆκος ἐκτελευτήσας χρόνου* v. 1020. cll. 94. et versus 774., ubi Hercules dicitur *τρίτος δὲ γένναν πρὸς δέκ' ἄλλαισιν γοναῖς.* Ab Io enim ad Herculem usque tredecim generis successores fuerunt: 1) Epaphus 2) Libya 3) Belus 4) Danaus 5) Hypermnestra 6) Abas 7) Proetus 8) Acrisius 9) Danaë 10) Perseus 11) Electryon 12) Alcmena 13) Hercules. Sed triginta millia annorum spatium captivitatis fuisse, docuit Aeschylus in Ignif. Prom. testibus Scholiastis (Prom. v. 94.) et Hygino. Quibus in rebus summam veniam concedamus dramaticis poetis, necesse est. Praeterea in aliis quamvis differant haec dramata, ut in eo, quod v. 1023. Prom. V. aquila est *πανήμερος*, quam tertio quoque die advolantem facit fragmentum XIII.*), tamen inter rem summam, ut in Orestiade, ita in Prometheis arctissima intercedit ne-

*) Quamquam et haec repugnantia tollitur si *δαιταλεὺς πανήμερος* significat per totum diem conviviam. v. Blomf. Glossar.

cessitudo. Quae in posteriore peraguntur, eorum causae explicantur dramate priore; propter alterius institutionem in altero multa, quae aliena videntur, intelligas proposita; alterum denique altero illustratur et suppletur. Nec tamen silentio est praetereundum, quod inter personas in Cod. recensetur *Γαῖα* s. Terra. Ea in priscorum deorum gente summae majestatis dea est: Urani Uxor, et Titanum mater v. 205.; ipsa vero et Themis dicitur ab Aeschylo 210.; quo loco cum haereant interpretes, Schützius versum spurium judicat: repugnet enim Eumenidum versui secundo, ubi Themis Terrae filia dicitur. At Aeschylus diserte ibi addit: *ὡς λόγος τις*, de quo *λόγῳ* Pausan. X. V., ib. interpret. et Burges. ad loc. Eumenid.; atque alias alibi fabulas poetam sequi, supra dictum est. Deinde quod Themin Aeschylus Titanida appellat, cum Titanicum nomen latissime pateat, id neque solus, neque inepte fecit: v. Nitsch. Mythol. Woerterb. v. Titan. Fratres vero quod Titanes *Οὐρανοῦ τε καὶ Χθονὸς τέκνα*, alio patre usus Prometheus non nominet, mirabitur nemo. Quibus loci difficultatibus ita remotis, diversas corrigendi et emendandi loci rationes a viris doctis propositas non repetam. Themis vero, ipsius Jovis uxor non legitima, tulit eandem sortem atque Io, Dione, aliae, de quibus v. Cap. VII. Buttm. Dem. Mid. Exc. IV. Quas partes in Vincto Oceanus cum filiabus, videtur eadem cum liberis in Soluto egisse, meliore vero successu filium, a quo Vinct. Prom. fine, erat accita, ad cedendum cohortata esse.

Hic necesse est, ut de Prometheo Ignifero quae mihi videantur apponam. Diu enim jam disceptatum

est, utrum satyricum drama fuisset nec ne. Et Bluemnerus quidem Meursii et Hemsterhusii sententiam secutus (v. Schuetz. Fragm. Aesch. § 175.) satyricum fuisse negat. Eidem Προμηθεὺς Πυρκαεὺς ab illo diversus, et satyricus fortasse fuisse visus est. Namque cum apud Poll. X. 17. haec legantur: Ἀλλὰ καὶ Αἰσχύλος ἐν Προμηθεῖ πῦρ καὶ λίνον δὲ, πίσσαν, κ. τ. λ. Salmasius correxit — — — ἐν Προμηθεῖ Πυρκαεῖ λιν., quia Pollux IX. 8. ab Aeschylo drama aliquod Πυρκαεὺς inscriptum esse, tradit. Exstat autem didascalia (Argum. Pers.) haec: Ἐπὶ Μένωνος τραγῳδῶν Αἰσχύλος ἐνίκα Φινεῖ, Πέρσαις, Γλαύκῳ Ποτνιεῖ, Προμηθεῖ. Quarto igitur loco Prometheus posita est, unde satyricam eam fuisse conjeceris. Conjecturae veritas confirmatur loco Plutarchi (lib. de util. ex inim. cap.) τοῦ δὲ Σατύρου τὸ πῦρ ὡς πρῶτον ὤφθη, βουλομένου φιλῆσαι καὶ περιβαλεῖν, ὁ Προμηθεὺς sc. ἔφη·

τράγος, γένειον ἆρα πενθήσεις σύγε,
καίει τὸν ἁψάμενον.

Haec quae etiam Eust. ad Il. p. 415. habet, ex eodem Aeschyli sunt dramate satyrico, cujus aliud fragmentum est apud Gellium N. A. XIII, 18.

Σιγῶν θ', ὅπου δεῖ, καὶ λέγων τὰ καίρια.

Quibus in verbis trita ac pervulgata inest sententia, et apud Aeschylum et apud alios scriptores saepius obvia, cf. Conradi ad Gell. loc. Nec desint Scholiastae verba ad Vinct. 94. Ἐν τῷ Πυρφόρῳ τρεῖς μυριάδας φησὶ δεδέσθαι αὐτόν. cll. Hygin. Astr. II. 15. Summam vero satyrici Promethei indicat primum Cic. ad Fragm. ex Attii Philoct. dicens: furtum Lemnium, Unde ign. sq., unde patet, Prometheum ex Mosychlo accendisse fa-

facem, quod nescio an fabula constabat Lemniorum, quibus cum Deucalionidis priscam necessitatem intercessisse, aliunde conjici potest; deinde Aeschylus ipse Pr. Vinct. 7.

Τὸ σὸν γὰρ ἄνθος, παντέχνου πυρὸς σέλας,
Θνητοῖσι κλέψας ὤπασεν.

Res igitur postulat, ut existimemus, multo ante Prometheum V. et Solut. hoc drama satyricum esse scriptum, illique trilogiae, quae docta est Olymp. LXXVI, 4. adjunctum. Prometheis vero, quod drama satyricum addidit, si cui Προμηθεὺς πυρκαεὺς videatur fuisse, ea refutatur sententia, quod duo ejusdem argumenti et nominis satyrica nemo scripsit. Tragoedia autem Πυρκαεὺς fuisse non potest videri, quia in reliquis Prometheis hoc argumentum jam affatim tractatum absolutumque erat. Ceterum nominis hujus nulla in graecis didascaliis mentio fit. Memoratur a solo Polluce, cujus auctoritati in talibus non ita multum tribuendum est; et multa dramata, ut Phrynichi Persae vel Phoenissae, Aeschyli Supplices vel Danaides cet. duplice nomine denotantur. Quin, si quid video, neutra satyrici dramatis inscriptio ab Aeschylo, qui Prometheum inscripsit, sed utraque a posterioribus, diversa ejusdem nominis tria dramata distinguentibus profecta est. Quod in quam multa veterum scripta cadat, nemo nescit, atque antiquiores scriptores, si quae ex Prometheis laudant, simpliciter habent: ἐν Προμηθεῖ.

CAP. X.

DE LOCIS PROMETHEORUM QUIBUSDAM A CICERONE VERSIS.

Naevium et Ennium constat plerasque Euripidis tragoedias, Pacuvium plures etiam Sophoclis et Aeschyli, Attium autem Aeschyli fere omnes retractasse ac latinas fecisse. Laudantur a veteribus ejus Athamas, Argonautae, Bacchae, Epigoni, Myrmidones, Armorum judicium, Telephus, Philoctetes, aliaeque Aeschylae fabulae; ab eoque studiose expressum esse Aeschylum, cum compari fuerint ingenio poetae, nemo mirabitur. Sublimitatem enim robusque animi, dictionis audaciam, os animosum veteres admirantur in Attio, ejusque in oratione plus sanguinis, plus virium, quam apud ceteros fuisse praedicant: quibus virtutibus ad exprimenda Aeschylea maxime fuit idoneus. Qua vero usus lege ac ratione ipse cum ceteris poetis latinis transtulerit Graeca ac tractaverit, cum aegre ex fragmentis, quae habemus paucissima, eruatur, quomodo Romani omnino, et in aliis quoque generibus graeca exempla imitati sint, inquirendum est. Et comoedias quidem, quae proxime se offerunt, liberius quidem, sed ita transferre solitos esse, ut mutatâ paululum fabulae institutione singulos locos verbotenus

exprimerent, Plautinis et Terentianis compertum est.*) Etiam diligentius et religiosius aetate priores Tragicos existimare licet graeca exempla expressisse. Ennium enim scimus Euripidis Medeam fere integram sibi sumsisse, ac verbum de verbo expressum extulisse.**) Deinde, ut chori quidem carmina minuisse et contraxisse videntur, ita maximam operam eos in hoc posuisse, ut γνώμας sive sententias veritatis et orationis vi excellentiores ad verbum redderent, ex Romano ingenio et ex fragmentis cognoscitur. Atque hujusmodi sententiis reliquiarum, quas habemus, pars constat longe major. Eos autem graecae poeseos flosculos cum undique Latini decerpere et delibare studuerint, qui statim omnem librum et carmen gr. a scriptore talia frustula ostentante latine expressum esse censeat, facile errat. Atqui Cicero Graecis poetis pariter ac veterioribus illis latinis vehementissime delectatus etiam ex Prometheis Aeschyli plura hujusmodi habet. Nam Tusc. Quaest. III. 31. affert quatuor versus ex Prometheo V. accurate translatos:

Atqui, Prometheu, te hoc tenere existimo,
Mederi posse rationem iracundiae.
Prom. Si quidem qui tempestivam medicinam admovens
Non adgravescens vulnus illidat manus.

Aeschylus Prom. 377 — 380. Οὔκουν, Προμηθεῦ, τοῦτο γινώσκεις, ὅτι sq. Neque minus ibd. I. 24. 25. Aeschylea ex Prom. sumta videntur latere. Deinde, quod

*) v. Meinecke: Menandri et Philem. Reliqu. p. 1 sq.
**) v. Plank, Ennii Med. — Baden: de causis negl. ap. Rom. trag.

quod a nemine animadversum est, D. N. D. II. 60. cum plura insunt, quae expressa sint ad Aeschylea Prom. 475 — 505., tum illa: „nos e terrae cavernis ferrum elicimus — nos aeris, argenti, auri venas penitus abditas invenimus (§. 151.)," Aeschylea sunt, quae et iterum commemorantur et accuratius Offic. II, 3.: Eadem ratione

nec lapides e terra exciderentur
ad usum nostrum necessarii, nec — —

s. nostrum ad usum pernecessarii nec – ⏑⏑ (ullum, inde, altum)
ferrum, aes, argentum, aurum (effoderetur) penitus abditum."

His, inquam, quos non integros superesse metrum docet, versibus poeta interpretatus est Aeschylum Prom. 500 — 503.

ἔνερε δὲ χθονὸς
Κεκρυμμέν᾽ ἀνθρώποισιν ὠφελήματα,
Χαλκὸν, σίδηρον, ἄργυρον, χρυσόν τε τίς sq.

Quibus similia etiam ex aliis lat. scriptoribus affert Beierus, quem cf. ad loc. Cic. Postremo supra fragmentis Sol. Promethei inserui, quae sunt apud Cic. Tusc. II. 9.; sed priora illa: Unde igneis cluet mortalibus sq. Attius ex ipso Vinct. Prom. videtur in Philoct. suam transtulisse, et ex iis quidem statim ab initio:

Τὸ σὸν γὰρ ἄνθος, παντέχνου πυρὸς σέλας sq.

Quod si recte contendo, cum quae ex Offic. attuli, non ad verbum, sed liberius expressa sint, versuum horum auctorem graecam fabulam latine retractasse omnem opinari licet. Et Stanlejus, Promethei, inquit, furtum, vincula et solutionem tribus tra-

goediis expedivit Aeschylus: πυρφ., δεσμ., λυόμ.; ex his ultimam latine reddidisse Attium probant viri eruditi, quod Promethei ad Caucasum religati oratio, quam adducit Cicero Tusc. dissimulato licet auctoris nomine, ex Aeschyli tragoedia translata fuerit, et quidem ab Attio, sub cujus nomine Nonius locum ex iis producit, in v. Adulo, meminitque praeterea Attianae hujus fabulae in v. Gelus, subscribente Prisciano VI. Pari argumento inducor, ut credam, secundam etiam tragoediam Προμ. δεσμ. ab Attio fuisse traductam, quippe ad eam pertinent, quos eodem modo, tacito auctore, profert idem Tullius, hi quatuor versus Tusc. III. 31. Contra Schützius: „Haud dubium est, quod Davisius monuit; hos Aeschyli versiculos ab ipso Cicerone latine translatos esse. Ipse enim Cicero hoc Cap. X. aperte profitetur. Nonius quidem Marcellus partem horum versiculornm, inde a verbis „et sublime avolans" citat tanquam ex Attii Prometheo desumtam. In quo vel memoria lapsum hunc Grammaticum credibile fuerit, vel dicendum, Ciceronem aliquot versiculos, quum reliquos ipse latine verteret, ex Attii versione memoria forte retentos reliquis admiscuisse." Et profecto de versuum auctore cogitantibus respicienda sunt illa in Cap. X: Unde illi versus? non enim agnosco — —. M. Studiose quidem utor nostris poetis; sed sicubi illi defecerunt, verti ipse (al. enim) multa de Graecis, ne quo ornamento careret latina oratio." Quibus verbis cum Cicero illa ex Soluto Prom. esse sua testatur, tum, quod gravius est, videtur negare, Romanorum ullum vertisse Solutum. Sed cum ambiguae sit sententiae locus, aliis

rationibus lis dirimenda est. Etenim verisimile puto, esse Ciceronis quae et γνώμας contineant, et verbotenus expressa sint, et Ciceronianam orationem spirent, contra, quae ex fabula liberius retractata fluxisse, et vetustioris latinitatis esse appareat, non esse Ciceronis. Quibus ex rationibus Ciceroni vindicanda sunt illa Tusc. II, 9. De reliquis autem cum, quia graecum exemplar intercidit, tam definite judicare non possimus, Nonio et Prisciano certe hoc dandum esse videtur, ut Ciceronem existimemus ea ad Attii exemplum latine vertisse. Qua de re ampliori examine, quod nullius fuerit fructus, abstinens, num quam facultatem graeci textus judicandi et restituendi latina dent fragmenta quaesiverim. Verum hoc in loco magna opus cautione est; nam facile cum accurate non respondeant graecae orationi frustula aliqua latina, corruptelas et menda, quibus graeca laborent, suspiceris; id vero falso, si fabulam aut graece denuo refinctum esse, aut liberius ab Attio latine retractatam verisimilius est. Summo autem jure contenderis, quae in nonnullis Codicibus altera versus Prom. 492.: ἄργυρον· χρυσόν δέ — interpungendi et legendi ratio reperitur, falsam esse, latina versione Offic. II, 3. convinci. Etiam in altero loco Prom. 378. pro alterutra scriptura Ὀργῆς-Ψυχῆς argumentum petiveris ex versione latina Tusc. III, 31. At haec pertinent ad Criticas Observationes Cap. XII. Rectius vero his subjungitur veteris poetae ap. Cic. De Orat. III, 39. locus, Aeschyleo Prom. V. 1045 — 1050, et 1081 — 89. simillimus, quamquam non verbotenus expressus;

Inhorrescit mare,
Tenebrae conduplicantur, noctisque et nimbum occoecat nigror,
Flamma inter nubes coruscat, coelum tonitru contremit,
Grando mista imbri largifluo subita praecipitans cadit:
Undique omnes venti erumpunt, saevi existunt turbines,
Fervit aestu pelagus.

Qui versus auctoris nomine addito commemorantur etiam D. Divinat. I. 14.

CAP. XI.

VERSUS QUIDAM IN NONNULLIS AESCHYL. PROMETHEI CODICIBUS ADDITI.

Ἀνθ᾽ ὧν τὸ πῦρ δέδωκας ἀνθρώπων γένει,
Τρύχῃ βίᾳ φάραγγι προςπεπηγμένος.
Τό πῦρ, Προμηθεῦ, ὃ βροτοῖσιν ἐχαρίσω,
Ὕλη πρὸς ἀκάμαντον εὑρέθη φλόγα.
Αἴσχύλε, τί φῇς; τοὺς θεούς σου προσφέρεις
Πάσχοντας αἰσχρῶς ἐκ θεῶν ὁμοτρόπων;
Καὶ πῶς ἄρα λέληθας σεαυτὸν εἰς τέλος
Θεοὺς σεβίζων τοὺς παθητοὺς τὴν φύσιν,
Καὶ μὴ δυνατοὺς ἐκφυγεῖν τιμωρίας; —

Hisce versibus ut Promethei argumento jam antiquitus interpretes offensos esse apparet, ita, quos lectoribus eximere conati sumus, scrupulos accurate indicari, supra dictum est. Inest in iis duplex sententia, quarum altera haec est: „Prometheum infinitam sibi miseriam parasse, igne hominibus in perpetuum tributo;" altera: „poetam, cum quos deos extremae vilitatis arguat, ipse coluerit, secum vehementer pugnare." Duae sententiis distinctae versuum partes in fine Cod. Cant. ipsa librarii manu sejunctae inveniuntur;

cunjunctae vero et scholiis γ'. adnexae ad calcem MS. Regii. Multis autem hi versus cum hic tum maxime ibi mendis scatent ac corruptelis: quibus quam maxime purgatos exhibui. Sed quae in iis, quamvis niteant flosculis Aeschyleis (cf. ad vs. I. Prometh. 31.; ad vs. 2. Prom. 27.; ad vs. 4. Prom. 922.), ab Atticae poeseos ratione et oratione recedunt, intacta sunt relinquenda. De versuum auctore nihil certi afferre possum, nisi hoc, suspicionem injici ab argumento pariter atque ratione, eum esse christianum. Christianis enim vel Judaeis si ulla, haec profecto tragoedia ansam dabat ludibrii: Cf. Boeckh. gr. trag. XII. Incidi quidem in opinionem, a Quinto Septimio Florente Christiano hos versus subjectos esse, qui cum alias tum Prometheum fabulam metaphrasi quadam illustravit: Fabric. B. Gr. II. XVI; sed temporum ratio obstare videtur, neque probabile est, omnium versuum fuisse auctorem unum. Fortasse ab alio duo primi, ab alio sequentes duo, ab alio reliqui versus adscripti sunt. Etiam Scholiastarum Aeschyli haec esse videntur, qui et simillimas sententias proferre, et christianae disciplinae studium aperte profiteri solent. cf. Schol. ad Prom. 120. ad Agam. 162.

CAP. XII.

CRITICAE DE PROMETHEO VINCTO OBSERVATIONES.

Satis jam demonstratum est inprimis a Boeckhio et Hermanno, nonnullas tragoedias graecas tum ab ipsis auctoribus, tum a posterioribus poetis correctas et refinctas esse. Et Aeschyli quidem fabulas alias filius Euphorion commisit emendatas, alias ipse auctor refinxit, quarum in numero fuisse videtur Prometheus, quem iterum editum primus odoratus est Robortellus in reprehenss. suis, secundus Abreschius in Animadv. Aeschyl. I. 2. Is quidem in voce ἐπράχθη v. 49. haerens scholia non congruere vidit cum Aeschyleis. Et sane sexcenties observari licet, non consentire scholia cum verbis, quae hodie legimus: continent eadem lectionum jam antiquitus variantium, atque etiam majorem a vulgatis mirum quantum discrepantium copiam: ut Scholiastas editione Promethei prorsus alia, haud dubie priore, usos esse, compareat. Qua de re ad verbum ἐπράχθη disputans Abreschius: certum, inquit, videtur, criticos aliam vocem invenisse; duas igitur olim hujus dramatis ἐκδόσεις ab ipso auctore prodiisse, quarum in altera, cujus apographa habuerint critici, dederint ἐπρώθη, altera, quod nunc legimus,

ἐπάρχθη. Ita autem ut statuam, varia svadent. Fingit enim Aeschylus, regnum Jovi dolo et occultis magis machinationibus, quam vi partum. v. 206 — 214, eoque potitum Jovem (de fato est altum silentium) reliquis diis suo cuique munia, suos honores distribuisse v. 238, 428. — Hesiod. Theog. 74. 112. 880 sq. quem manifesto sequitur noster. Quumque πρᾶξαι τινί τι usurpari soleat interdum pro occulta et clandestina machinatione acquirere et conciliare aliquid, res ipsa loqui mihi videtur, vocem non aliam aptiorem magisque significabilem adhiberi potuisse: „ut qua tacite innuatur, diis cunctis per clandestinam illam molitionem, qua Saturnus regno exutus est, omnia acquisita esse, monebiturque adeo Vulcanus, quum in facta illa divisione Jovi regnum sibi soli vindicanti atque reservanti nec ipse nec alius deorum contradixerit, unus quisque, quam tulit, sorte contentus fuerit, haud aequum esse, eum nunc artis poenitere, Jovisque imperio obedire gravari, cui omnes omnino deos subjectos sciat." At neque ἐπρώθη vere graecum est meliusque esset ἅπαν πέπρωται (v. Fragm. II.), neque hoc argumento duplex Promethei recensio satis probatur. Namque quum admodum lubricam hanc de duplice fabulae recensione materiam esse, monuerint cum alii tum nuper Hermannus; et caute in ea tractanda versabor, et ad ejus praecepta instituam quaestionem. Is vero haec habet: „Poetae ipsi an aliquid correxerint, mihi quidem eo nomine colligi posse videtur, si ejusdem loci duae ita diversae scripturae inveniuntur, ut causae, cur altera alteri substituta fuerit, neque ab histrionum, vel errantium vel commoditati suae aut tempo-

ribus inservientium, vel a pravis criticorum, dictionis potissimum puritatem spectantium, rationibus repeti possit. Versantur ea autem fere in his, ut quid magis perspicue, ut aptius, ut elegantius, ut ornatius, ut fortius dictum sit, mutata esse appareat. Cujusmodi exempla in qua fabula reperta sunt, in ea verisimile est, illorum quoque multa ab ipso auctore correcta esse, quae leviora sunt, et unius tantum aut paucorum verborum mutatione continentur." Herm. ad Emslej. Philoct. Igitur quod de eorum locorum diversis scripturis praecipit demonstrandis, huc maxime illud pertinet, quod qui Promethei locum laudant antiqui scriptores, saepe prorsus alium, quam ut nunc legitur, eum exhibent: quam rem inde ab initio tragoediae ad finem usque persequi possumus. Et primos quidem sex versus multis mutatis exhibet Schol. Aristoph. Ran. 814. — V. 2, ubi omnes MS. habent *ἄβατον*, servant *ἄβροτον*, lectionem elegantissimam Schol. Venet. ad Il. I, 78. et Svid. v. *ἐρεβρεμέτας*. — V. 3, de voce *ἐπιτολὰς* judicium ambiguum est; *ἐπιςολὴ* antiquius esse apparet vel ex illis de Pythagorae filia: *τὰν αὐτὰν ἐπιστολὰν ἀπέστειλεν*. Majoris momenti est vs. 6., quem MS. ita exhibent: *ἀδαμαντίναις πέδησιν ἐν ἀῤῥήκτοις πέτραις*, Scholiastes vero Aristophanis, atque Svidas ita: *ἀδαμαντίνων δεσμῶν ἐν ἀῤῥήκτοις πέδαις*. Utraque versus ratio perbona: nam repetitum ex vs. 4. *πέτραις* non minus Aeschylum prodit, (v. Reisig. Observ. Crit. de Soph. Oed. p. 187, 88. Wellauer. Comment. Aeschyl. Cap. I.), quam dictio *δεσμῶν ἐν πέδαις* (v. Schwenk. ad Choeph. 487. S. Theb. 44. Herm. Mus. Ant. Stud. I. p. 206.): ut haec diversitas non

aliunde, quam ex diversa textus recensione possit repeti. Eodem pertinent v. 60. δυςκολύτως (vulg. δυςκλύτως); 272. βλαβὰς (τύχας); 293, plane aliter, sed fort. corrupte, h. versum cit. Athen. IV. 165; 329. προςτρίβεται (προςγίνεταί); 355. διναῖσι (σμερδναῖσι); 378. ψυχῆς (ὀργῆς); 454. οὐκ ἦν γὰρ (ἦν δ' οὐδὲν); 458. ὁδοὺς (δύσεις); 642. αἰσχύνομαι (ὀδύρομαι); 680. ἐξαίφνης (ἀφνιδίως); de vs. 712. 879. 82. vide infra; 916. τόποις (κτύποις) cet. Quibus exemplis lectionum diversarum modo apud Schol. et antiquos scriptores occurrentium cum fabulae alio eos exemplo usos esse videatur apparere: quas in ipsis MS. invenimus ejusdem loci scripturas et memorabiles quidem eas ut v. 59. πόρους p. τρόπον, 88. τέχνης p. τύχης; 394. ψαίρει p. ψαύει, non ex archetypo Cod. profectas, sed ex aliis demum scriptoribus primum margini Codicum ceterorum esse adscriptas, indeque in paucos eos libros irrepsisse, existimari licet: nam ψαίρει modo in margine Turn. et Reg. B.; πόρους vero in Marcell. vit. Thucyd., Schol. Aristoph., Dionys. Hal. Antiq. Rom. reperitur; et sic porro. Deinde taceo de Robortelliano duplicis recensionis argumento, inde petito, quod Aristoteles dixerit, in orco Prometheum agi; nam loc. Aristot. IV. aliter potest explicari. Verum C. X. jam demonstratum est, quae latina facta ex Prometheo citentur ab antiquis scriptoribus, minus conspirare cum exemplo: cll. Cic. Quaest. Tuscul. III, 30. c. Prom. 386 sq. Offic. II, 3. c. Prom. 490. Qua quidem re etiam gravius illud est, quod e Prometheo V. citantur, quae ibi jam non inveniuntur. In Stob. Ecl. Phys. I. (ed. Heeren) laudantur vehementer a-

MS. discrepantes ex Prom. V. versus quinque, quintumque versum sequuntur haecce:

Ἀριθμὸν εὑρὼν, ἔξοχον σοφισμάτων·
Ἔπειτα πάσης Ἑλλάδος καὶ συμμάχων
Βίον διῴκησ' ὄντα πρὶν πεφυρμένον,
Θηρσί θ' ὅμοιον· πρῶτα μὲν τὸν πάνσοφον
Ἀριθμὸν εὕρηκ', ἔξοχον σοφισμάτων.

Primo versu, qui vitio librarii bis scriptus est, deleto, omnia praeclare in Aeschylo cohaerent, neque est, quod Blomfieldio, haec ex Palamede aliove dramate sumta esse, conjicienti assentiamur. Etiam plura Galenus ex Vincto Prometheo affert, quae jam in MS. non insunt, eorumque ampliora loca fragmentis Soluti Pr. inserui, nonnullorum σφάλμα μνημονικὸν accusantium minus probabilem sententiam secutus. Eodem Fragm. III. videtur pertinere. Causam vero Promethei bis editae facile inveneris, si tibi, fabulam primum non stetisse, sed gravem auctori invidiam conflasse, verisimile est. Atqui cum uti in Suppl. βοῦνις ita Ἄλευ' (ῶ) ἆ δᾶ, μᾶσσον, πεδάρσιος aliaque hic ipsius orationis vestigia Siciliae fortasse nos commonefaciant: nonne exsulem in Sicilia poetam retractasse eam opinemur? Cui opinioni ex quatuor ab initio statim prodeuntibus personis, diverbiorumque ex praestantia et arte momentum accedit stabiliendae haud exiguum. De ipso autem poetae exsilio quaestio multis impedimentis est implicita. Namque in Siciliam bis Aeschylum demigrasse, et primum quidem Hieroni gratulatum, idoneis constat testimoniis; verum de causis alterius discessus, quas veterum alii alias afferunt, vehementer est dubitandum, atque Boeckhius (trag. gr.

IV.) et imprimis Blomfieldius (Praefat. ad Pers.) Grammaticorum nugas exploserant. Sed tantum abest, ut causam probabilem indagari posse negem, ut Atheniensibus et laesas religiones exprobrantibus et pestifera recentioris disciplinae dulcedine captis iratum Aeschylum abiisse existimem. Etenim cum id ex ingenio Aeschyli jam compareat, et eo, quod Aristophanes in Ran. ad reducendam veterem religionem et disciplinam adeo ex inferis ipsum reducendum esse vult, et epigrammate in eum Gelae mortuum scripto idem docetur. Deinde opinionem eam chronologicae rationes ferunt. Nam etiamsi Boeckhius negat, tempus doctae fabulae posse definiri, tamen in rem afferre licet primum, quod fabula severum tristemque Aeschyli fere senis animum testatur (obiit vero Aeschylus fere Ol. LXXXI.), et quod docta est non modo post Pindari carmen Pyth. I. Hieroni in Sicilia (Ol. LXXVI. 4.) cantatum, quia Pindari de Typhoeo narrationem Aeschylus aemulatur v. Schol. 367.; verum etiam postquam poeta in Sicilia diutius commoratus Athenas redierat fere LXXVII $\frac{2}{3}$,: insunt enim in Prometheo sententiae Siculam disciplinam redolentes; inprimis pythagorica dogmata, etiam mystica maxime in Sicilia poetam amplexum esse pro explorato habeo. Deinde post Eumenidas primum actam Ol. LXXVII. 4, et propter chori numerum et quia Aeschylus reus factus Areopagitarum, fine Eumenid. collaudatorum, mira fiducia imploravit fidem, Prometheus docta est. Tum Reisigius acute vidit, versu 1068. respici Pausaniae proditionem, quae innotuit Ol. LXXVII. 4.; nosque diximus, contra eos scriptam

esse fabulam, qui peregrinis superstitionibus antiquiores civitate expellebant religiones, morumque et artium antiquam diciplinam evertebant Ol. LXXVII, 4, et LXXVIII $\frac{2}{3}$. Postremo in Supplicibus cum Aeschylus ea de Ius vago itinere, quae in Prometheo exposuerat, omittens alia fusius persequatur, Prometheum ante eam scripsit. Supplices vero post alteram poetae migrationem (Ol. LXXX.) composita: quae omnia in unum collecta evincunt, Olympiade LXXVIII. Prometheum primum esse doctam. Neque tamen huic argumentorum generi tantum tribuo, ut aliter rem se habere posse prorsus negem: nam ex chori numero Jacobus concludit, fabulam Ol. LXXX. 1. esse commissam, quo tempore poeta, si in vivis adhuc erat, eam potius retractaverit. Est enim infirmissimum ex chori minuti numero petitum argumentum, quoniam ad majora evitanda machinarum molimenta, e curribus suis descendisse videntur Nereides modo duodecim: qui minimus chorentarum numerus a Boeckhio statuitur. Idem ostenditur non tam diverbiis, nam octies et vicies chorus loquitur s. quater septenis versibus, quam canticis, quorum rationem Aeschylus videtur ita instituisse, ut alterius hemichori praesul cantaret v. 128 — 132., prima persona — 135., secunda 144 —148, tertia — 151., quarta 159 — 160, quinta — 162.; alterius vero hemichori praesul 163 — 64, prima persona — 166., secunda 178 — 79., tertia 180. 181., quarta — 82., quinta — 85. Sequentium autem canticorum opinor bis plenum chorum, seu potius *κατὰ* (duos) *στοίχους*, quadratam chori formam constituentes, eum cantasse primum versus illos

687 — 95., secundum vs. 901 — 906. Deinde reliquos versus 1) 397 — 406., 2) — 415., 3) — 420., 4) — 425., 5) — 430., 6) — 435., 7) 526 — 36., 8) — 545., 9) — 553., 10) — 560., 11) 887 — 95., 12) — 900. arbitror a duodecim singulis chorentis cantatos esse, nisi mavis ab hemichoris sese excipientibus. —

Ea duplicis editionis demonstratione si acquiescere licet, critica ars textui Promethei restituendo applicari potest manu certiore: nam discernendus est textus editionis prioris ab eo, quem praebent codices. Illum ex scholiis atque aliorum scriptorum locis supposita alterius diversitate restituendum statui, ubi hunc dubium incertumque cognovi propter codicum mendas ac corruptelas. Dedi quidem operam, ut de pretio singulis codicibus addicendo aliquid certius afferrem, quae res criticen mirum quantum sublevat; verum propter indiciorum paucitatem et ambiguitatem hoc studio parum lucrabar. Quamvis enim intellexerim, omnes Cods. Colb. Lips. et Guelph. et rasuris et lacunis laborare, atque in vitiis fere conspirare, neque multo melioris notae esse Codices Mosq. Ar. Ox. et Askewienses praeter Ask. B. et C.: tamen ut in Edt. Ald. Rob. Turn., neque minus concinentibus, et optima nonnunquam exhibentibus, haud rara insunt menda, ita et ii haud raro dant rectiora: ut malim ex historicis vestigiis recentiorem et vetustiorem eorum codicum familiam constituere. At omnino hac diplomatica quaestione multum in Aeschylo restituendo profici posse, negaverim. Namque cum aliis V. D. persuasum habeo, certe ultimas Aeschyli

fabulas, Agamemnonem, Choephoras, Eumenides, Supplices et Prometheum ex uno eodemque exemplari conscriptas exstare. Hoc enim cum eaedem in omnibus MS. ejusdem loci corruptelae et eaedem ubique comparentes lacunae testantur, tum maxime Choephorarum initium in omnibus MS. mutilum. Cui opinioni non adversatur diversarum scripturarum in libris ipsis copia, quippe quam ex librariorum erroribus aut grammaticorum studiis provenisse facile intelligatur: cf. Elmsley's Review of Blomf. Prometh. p. 168. The concurrence cet. — At vero, si ex uno omnia deinceps exemplaria nostra archetypo manarunt, quas alii scriptores lectionum habent diversitates, alterius eae sunt manuscripti, non diversae recensionis? Hoc si quispiam objecerit, respondeo, tum notatas ex Prometheo lectiones diversas plane aliam habere speciem, atque habere soleant librorum manuscr. varietates, tum aliis me praeter hoc argumentis opinionem meam supra tutatum esse. Haec igitur de lectionibus in Prom. discrepantibus; in quibus judicandis non numerandos esse codices, sed Mediceum, quem habeamus antiquissimum, sequendum etiam alii statuunt. In orthographia vero, in dialecto et in grammaticis rebus cum nullum deprehenderis codicem sibi constantem, ubi certiora deficiant fulcra, Aldinae, cujus finem Viri Docti collaudant, editioni optemperandum esse, Wellauerus existimat l. Comment. Aeschyl. Aldina retinet formas, quas exprobrant Atticismo alienas, e quibus memorabiles sunt ῥίζησιν, θῶκος (licet θακεῖν 389.), ἕδρης, εἵνεκα, εἰσοιχνεῦσι, neque id quidem falso. Nam tragici cum omnes Homericae dictionis amantes, tum

eorum antiquissimus rationis et orationis Homericae amantissimus conspicitur, formisque illis in adoptandis non affectans veteris Ionismi, sed antiquioris Atticae dialectus tenax judicandus est. Atticum enim sermonem cum varias mutationes habuisse, ab ipsis Atticis scriptoribus tradatur, antiquissima dialectus parum ab Ionica differebat (Dionys. d. Thucyd. p. 147.), atque ad bella Persica usque valebat cf. Bentl. Diss. Phal. XII. At vero, inquies, non constat sibi Aeschylus in his similibusque rebus; et recte: nam hujusmodi exempla non pauciora attuleris ex ipsa Aldina, quam Elmslejus congessit ad Soph. Philoct. Tragicos enim omnes hac in re sibi non constetisse, neque ullam regulam, sed quod in quoque loco auribus magis blandiretur vel usitatius esset, secutos esse, et dictionem usurpare ex patrii sermonis certo temperamento atque epicorum et lyricorum usu compositam, in qua multa sint, quae eo ipso, quod non sint Attica, poetica habeantur, egregie Elmslejum Hermannus docet l. l. Tum Aldina in metricis rationibus liberior est; ν finale ante diphthongum recte non habet; idem in syllabis, quae a sensu aut metro vim habent, abjecit: 8, ὤπασε. 48, ἔμελλε. 654, ψεύδεσι. 754, μνήμοσι, et innumeris aliis locis. Contra cum Robortell. al. multas syllabas videtur habere imminutas, quas alibi rectius produci vides, ut ante λλ in μέλλειν, ἄλλος, βάλλειν 3, 48, 71; itaque voci ἰδίᾳ ibi respondeant ἀλλά μοι, 520. cf. ἀλλά με τὰν ταλ. 547; item ante σσ: v. 279, 570, 572, et ante δδ, 558. De simili in syllabis cum muta et liquida lit. varie compositis licentia ab aliis jam monitum est. In his quidem viri docti fidem Aldinae

dinae neque habent neque habere possunt, quamquam ad archetypum ea expressa esse, atque a Codicibus et Homericae poeseos exemplo talium rerum aliqua certe ratio ostendi videatur, et quamquam in eo consentiant, quod recte οι ante vocalem (οἰῶ) corripi, brevem syllabam sequente litera ῥ (μέγα ῥάκος) produci, pronomen μέ, σέ cet. et particulum γέ plurimis in locis rectissime omitti ab Aldina, putant. Namque auctoritas Aldinae multis rebus minuitur. Fabricius enim de ea haec dixit: Primum omnium Aldus Minutius tragoedias Aeschyli graece publici juris fecit Venetiis 1518.; sed parum emendate, atque ita, ut Agamemnonis postrema pars cum Choephoris capite mutilis confusa pro una fabula exhiberetur Agamemnone. Quod ejus judicium mendorum et errorum admirabili et multitudine et ratione confirmatur, quibus, quod Lafontanius in Praefat. suae editionis, et Reisigius in Censura Editionis Wellauer. (Jen. Litter. Zeit. Febr. 1824.) dixerunt, alio dictante alium voces saepe perverse auditas typis expressisse, sane comprobatur. Quas ob causas quamvis et illae diversitates minoris aestimandae sint, ceteraeque omnes usum parum tutum habeant: tamen caute et prudenter adhibitae Aldinae, cum et ipsis vitiis ad veras rectasque lectiones deducat, non minima est utilitas. Praetermissis denique, quae de Robortelliana, Turnebiana et Victoriana edit. a viris doctis passim, et de Codbs. Canteri a Thierschio (Act. Phil. Monac. T. I. 111. 1812.) adnotata habemus, ad quaestionem de locis Promethei difficilioribus instituendam pergo.

V. 50. Ἅπαντ' ἐπράχθη πλὴν θεοῖσι κοιρανεῖν·
Ἐλεύθερος γὰρ οὔτις ἐστὶ πλὴν Διός.

Abreschii vocis ἐπράχθη explicationem jam attuli, et locis nonnullis πράττειν de dolosa acquisitione sane potest intelligi: Hom. Il. XVIII. 357. Pind. Pyth. X, 41. Isthm. IV, 9. Nem. V, 36. Sensus igitur est: „omnia dii sibi compararunt praeter imperium liberum, quod solius factum est Jovis." In qua loci interpretatione qui non acquiescunt, num mutata voce ἐπράχθη in ἐτάχθη satisfecerim, videant. Etenim si quaerimus, quale verbum nexu desideretur, facile Scholiastis assentiemur hanc sententiam elicientibus: ἅπαντα τοῖς θεοῖς πλὴν τοῦ ἄρχειν αὐτῶν, δέδοται, διώρισται. Hujus igitur significatus verbum eruendum est ex corrupto ἐπράχθη; quamobrem hoc tibi majusculis litteris finge exaratum, ubi litterarum ΠΡ signum esse solet Γ̊, quod paululum deletum gignit litteram Τ. Altera vero eaque tutior rectae scripturae inveniendae ratio ea est, ut videamus, qua voce Scholiastae aliam explicant, quomodo rursus illam ipsam, si in scriptore legitur, interpretentur. Vocibus enim, quibus alibi eodem sensu scriptor usus est, ad alias explicandas uti solent. Jam illud διορίζειν ipso hoc verbo τάσσειν explicat idem Scholiastes v. 489, sicut στοιχίζειν 484. Et sane haec illius verbi vis est, ut sit, ex certo pacto et ordine aliquid inter aliquos distribuere, suum cuique assignare. Confirmatur opinio etiam loco Euripidis Phoenis. 553 — 54.

Καὶ γὰρ μέτρ' ἀνθρώποισι καὶ μέρη σταθμῶν
Ἰσότης ἔταξε, κ' ἀριθμὸν διώρισε.

ad quae Schol. καὶ γὰρ ἡ ἰσότης ἔταξε μέτρα ἀνθρώποις, ἀντὶ τοῦ διὰ τὴν ἰσότητα καὶ μέτρα ἐτάχθησαν τοῖς ἀνθρώποις καὶ μέρη σταθμῶν καὶ ἀριθμός. Nihilominus commemorare libet, etiam ἐδράχθη animo occurrisse, quod verbum δράσσειν et δράσσεσθαι Homero, Aeschylo et Scholiastis usitatissimum est. v. Burges. ad Eumen. 759.

V. 150. Quod MSS. habent ἀθέσμως, rejiciendum et ex Hesychio ἀθέτως restituendum esse, Bentlejus demonstravit. Sed v. 182. nihil mutandum est, si Δέδια putas esse bisyllabum, ut cum γὰρ respondeat voci θέμενος in str. (cf. Wellauer. Sept. 283. Suppl. 68. Herm. Metr. p. 55.); neque Aoristus v. 163. offendit, particula ἀεὶ ad δάμναται pertinente. Idem si fit in διάτορ. 181., aut vulg. ἠρέθ. servari, aut in str. optima lectio ἄχθα γ' ἑνὸς Faehsii recipi potest: Syll. lect. Versus 188. assumto οἴω et duplicato ἔσται facile quidem expletur, sed Scholiis alia loci ratio ostenditur. Etenim ad v. 156. Scholiastes A. haec adnotavit: καλῶς οὐκ ἐπήνεγκε μήτε τις ἄνθρωπος," et mirum est, nisi sciolo alicui, qui μήτε τις ἄνος (unde ἄλλος) temere adscripserat, ita respondit (cf. Reisig. in Cens. Wellauer.). Illa enim verba quam sint inepta, quisque sentit, et Elmslejus (in Cens. Edit. Blomf.), suspicor, inquit, corrupta esse. Nulla enim causa erat, quare mortales, quorum maximus benefactor esset Prometheus, ex ejus malis gaudium perciperent. De diis solis eum locutum esse, ostendit chori responsum v. 169. Equidem Reisigium auctorem libenter sequens cum non emendanda, sed expellenda illa verba esse censeam, etiam versu 188. sententiam confirmari video. Namque per

illa cantica cum omnium numerorum tum anapaestorum quoque singularis est aequabilitas et responsio: et illis quidem 152 — 158 ex asse respondent anapaesti 186 — 192, relegato interpolamento μήτε τις ἄλλος et hemistichio, ut feci, constituto, quod etiam v. 97. est, et quatuor dimetris anapaesticis succedere solet. — Item respondent versus 120 — 127. versibus 136 — 143, et rescribendum v. 136. sexies αἶ ex optimo Cód. Med. I., ex quo quater, deinde ter, denique bis illud scriptum ceteri Codices habent. Versus 167 — 177 sunt μεσῳδικοί. Ejusdem propter metri rationes versum 1081. mancum judico, ibique aut αὐταῖς ῥίζαις ex vs. 1047. repetendum, aut 1082. aliquid excidisse putandum est, quod quidem ex latinis Paccuvii versibus (v. Cap. X.) erui possit. Nam, quod Hermannus jam observavit, haec illorum systematum ratio est:

ΠΡ.	ʽΕΡ.	ΧΟ.	ΕΡ.	ΠΡ.
ά.	β'.	μεσ.	β'.	ά.

Hujusmodi responsionibus et aequabilitatibus adeo jambici numeri et diverbia in Prometheo excellunt. Exempli causa inde a v. 472 — 525. chorus sexies loquitur, et bis quidem quatuor versibus, quater singulis; intra idem spatium Prometheus eadem versuum aequabilitate utitur (nam 475 — 506. alio pertinet). Tum de vs. 615 — 30. vide Wellauer. Add. 628.; item 747. Io loquitur quinque versibus, pariter ac Prometheus, deinde singulis: s. p. Quod ubi non est ita, aut alia obtinet ratio, aut textus integritas deside-

ratur; quamquam eam correctionum non ubique idoneam causam esse statuo, minime in diverbiis jambicis.

Versum 268. 70. grammatica ratione verbisque Elmsleji (in Rew.) admonitus et auctoritate Edit. princ. nisus emendare tentavi, idque facili successit modo, nescio an aeque felici.

Versus 347 — 72. Oceani esse ostendi videtur et Codicum Scholiorumque consensu et tenore orationis, qua Oceanus velit Promethei atrocitatem frangere exemplis ὑψηγόρων κομπασμάτων acerbe punitorum proponendis, et versuum aequabilitate, ex qua 373 — 76. resp. 393 — 96. Praeterea Reisigius mecum sensit, Prometheum alioquin suis se ipsius opprobrium dicturum fuisse verbis vers. 360.

Versus 400. laborare creditur exundante verbo λειβομένα, quod opinione, etiam priora carminis esse antistrophica sublata facile quidem servatur. Sed antistrophicos versus esse cum plurima suadeant, aliunde auxilium petendum est. In corrupta autem Aldinae lectione μεγαλοσχήμων ἀτ' ἀρχ., quod Wellauerus censet, veram latere, propter Scholia nego. Insignis enim hujus carminis commentatio in Scholiis inest, quibus ut fere omnia strophae verba confirmantur, ita antistrophica esse mutila et manca indicatur. Nam Scholiastes A' haec habet: ἅπασα δὲ χώρα ἤδη λέλακε καὶ ἠχεῖ ἤχημα στονόεν στεναγμῶν γέμον τε καὶ οἰκτρὸν, καὶ στενάζουσι τὴν μεγάλην τε καὶ περιφανοῦς σχήματος οὖσαν τιμὴν cet., e quibus vel ad στονόεν in Aesch. substantivum, vel ante μεγαλοσχήμονα adjectivum excidisse conjici licet. Illud difficilius reperitur; hoc, licet etiam

adjectivorum μεγαλάρχης, μεγαλαυχὴς similiumque in mentem venerit cf. Pers. 640., ipsum esse μεγάλην et inde apparet, quod μεγαλοσχήμονα postea explicatur vocibus μεγαλοῦ σχήματος οὖσαν, et, quod μεγάλην ante μεγαλοσχ. oculorum errore perfacile omitti potuit. Jam elegantissimi vers. Ionici sibi ita respondent:

str. δακρυσίστακτον ἀπ᾽ ὄσσων ῥαδινῶν λειβομένα ῥέος,
παρειὰν
antistr. μεγάλαν καὶ μεγαλοσχήμονα κ᾽ ἀρχαιοπρεπῆ στένουσι τὰν σάν.

In carmine, quod sequitur v. 526 sq. quae patent lacunae videamus, num eodem modo suppleri queant. Et post antistrophica quidem verba μυρίοις μόχθοις διακναιόμενον, nisi forte ante μόχθοις praepositionem ἐν, nihil excidisse, demonstrat Schol. *A'*. (δειλιῶ καὶ τρέμω σε διακοπτόμενον μυρίοις πόνοις· τὸν Δία γὰρ οὐ φοβ.), ubi continua oratione poetae verba repetuntur et explicantur. Etiam strophica verba μηδ᾽ ἐλιννύσαιμι – πόρον, ita ibidem illustrantur, ut nihil inde appareat, nisi in genuinis verbis praepositionem (ποτι) in ποτινισσομένα alio pertinere et vocem πατρὸς defuisse. Attamen accuratius pensitato loco in sententia quoque, ut qua Oceanitides ipsae deae diis junioribus sacrificasse dicantur, recte quisque haeret cum Pauwio et Schützio. Itaque perantiquis suis mendis videas num et metrica responsio et sensus loci sublevetur verbis παρὰ et πατρὸς ad Schol. *β'* rejectis, locoque ita constituto:

Μηδ᾽ ἐλιννύσαιμι θεοὺς, ὁσίαις θοίναις ποτινισσομένα
Βουφόνοις ἄσβεστον πόρον Ὠκεανοῦ

(ut alteri versui respondeat hic antistrophicus: *μυρίοις ἐν μόχθοις διακναιόμενον*), quae ita interpreteris: (ne Jupiter universi rector injiciat animo meo vim adversariam), neve (offendam) negligam deos sanctis eorum epulis accedens ad Oceanum perennem." Quam conjecturam, si numerorum legibus satisfactum est, quod in textum recepi, fortasse veniam impetrabo, cum Aeschylus videatur h. l. antiquam secutus esse fabulam, qua dii soliti sint *ἔρχεσθαι ἐς Ὠκεανὸν μετ' ἀμύμονας Αἰθιοπῆας κατὰ δαῖτα* cf. Schol. et Interpr. ad Iliad. I. 424. Quin etiam audacius ad Homeri verba rescribam: *βουφόνοις ἄσβεστον ἐς Ὠκεανὸν*, quibus respondeant perfecte *μυρίοις μόχθοις διακναιόμενον*. Nam *πόρον* ex praepositione *παρὰ* aut ex interpretatione ortum. Vide Aristarchi de commutatis praepositionibus adnotationem ad illum locum.

Deinde de verbis vs. 534. *ἀλλά μοι τόδ'* (s. *τοῦτ'*) *ἔμμενοι*, quibus bene respondent *ἐν ἰδίᾳ γνώμᾳ σέβει*, nihil insuper adde, nisi hoc, *ἐν* excidisse ob antecedentis vocis (*τρομέων*) finem. Sed quod v. 559. antiquum interpolamentum metri rationes turbat, confidenter censebam relegandum esse: relegata enim voce *ἔδνοις*, salva sententia, lacuna expletur. Lindavius autem *ἐάλωκ'* ante *ἀλαὸν* v. 550. inserendum esse statuit: Seebod. Krit. Biblioth. VI. 2., et Boeckhius conjecturam meam, quam postea etiam Reisigius ad Soph. Oed. p. XXXVI. proposuit, maxime propter metri rationes improbabat. Quem cum libenter auctorem sequar, malo post *ἀλαὸν* in str. *ἀλύει* putare excidisse. Indicatur vero his versibus res alia fortasse Prometheo ee-

lebrata, ubi in Promethei nuptiis Hesionae sorores hymenaeum cantabant.

De verbis v. 712. ἀλλ' ἁλιστόνοις πόδας sq. inquirenti Scholiastae lectio ἁλιστόνοις γε πόδας, etiam γυμνόποδας — Γύποδας negotia facessit, cum aperte metrum pessumdet. Quod cum Scholiastes ignorasse non putandus sit, aut alia verba aut ordinem verborum alium invenit. Elmslejus censet lectum fuisse: ἀλλ' ἁλιστόνοις γ' ὑπὸ Χριμπτ. Etiam mihi πόδας videtur glossa esse. In versu sequente propter Nominativum χρίμπτουσα legendum esse ἐκπέρα, Scholia ostendunt, quae item πέλαζε Imperativum pro Infinitivo habent. *) Hinc emergit, Scholiastas talem invenisse versum: οἷς μὴ πέλαζ' ἀλλ' ἁλιστόνοισι Γύποδας: quem Accusativum apte tum explicat. Schol.: τὴν αἰτιατικὴν τὸ Γύποδας ἀντὶ γενικῆς νοεῖ κατ' ἀντίπτωσιν. His licet clare prioris editionis lectio demonstrata sit, tamen hoc loco nihil mutandum esse arbitror, quia displicet mensura ἀλλ' ἁλιστ., meliusque sane ἀλλ' abesset, cum scribi possit ἁλιστόνοις δὲ Γ. In verbis v. 835.: τῶν δὲ προςσαίνει σέ τι· non haereo, sic ea vertenda esse existumans: „sed eorum, sc. oraculorum de te Jovis uxore futura, aliquid tibi volupe est." Cf. de προςσαίνειν Boeckh. ad Pind. Pyth. II. 82. et Schol. ad Pers. 95, ubi male uno sigmate scriptum est. Verum altera lectio — ἔσεσθ', εἴ τῶνδε πρ. siquidem (wenn anders, wofern nämlich — ironice) id te delectat — et sensu et Codicum opti-

*) Video nunc demum ex Faehsii Variet. Lect., ἐκπέρα revera in Cod. reperiri.

morum auctoritate magis commendatur. Cum vero de diphthongo *αι* elidendo mecum ipse nondum convenerim, scholiaque ap. Faehs. adversentur, vulgatam lectionem non recepi. — Qui mox sequitur locus v. 858 sq. de nefandis Danaidum nuptiis etiam magis propter verba *φθόνον δὲ σωμάτων ἕξει θεός*, quam propter nudum *δαμέντων* offendit. Secundum fabulam Danaides Argis ex fuga receptae cum ex pacto Aegypti filiis, ipsas huc usque secutis, nubere deberent, hoc ita fecerunt, ut prima nocte novos maritos interficerent, interfectosque Argolica terra sepelirent. De Aegyptii filiis Aeschylus ita: „numen iis invidebit de corporibus, Pelasgia vero recipiet (ea) muliebri caede domitorum." In his quisque videt, bis mente supplendum esse *σώματα*, et ad *δέξεται* et ad *δαμέντων* (hic quidem *σωμάτων*), quod bis significat corpora scilc. mortua, et oppositum sit vitae fonti, *τῇ ψυχῇ*. Hac enim significatione semper legitur *σῶμα* apud Homerum. Sin vero *φθόνον ἕξει θεός* revera est: deus invidebit, *σώματα* primum de vita intelligendum, mystico illo sensu, de quo Clemens Al. Str. III. 581. Pott. et Boeckh. ad Pind. Fragm. Thren. II. IV. Sed hoc duriusculum, et *φθόνον ἔχειν τινός* significat, alicujus invidia odioque flagrare, s. in invidia esse: Pind. Pyth. XI. 29. ib. Interpr. cf. Pers. 360., scribendumque fuisset ad sensum illum declarandum: *φθόνος δὲ σωμάτων ἕξει θεόν*, ut in illo epigrammate de Aeschylo

— *τίς φθόνος ἀστῶν*
Θησείδας ἀγαθῶν ἔγκοτος αἰὲν ἔχει;"

Etiam nudum θεὸς displicet, et pluralem Num. saltem exspectes. Aliorum autem explicationes cum alio nomine improbentur, locum corruptum esse judico, maxime illa verba φθόνον δὲ sq., pro quibus aut φθόνος δὲ σωμάτων ἕξει θεοὺς, aut φθόνος δὲ σώματ' ἀμφέξει θεοῦ (occupabit corpora divina invidia s. fatalis necessitas), scribendum esse opinarer, nisi Scholiis alia correctio indicaretur. Nam Schol. *B.* φθονήσας τοῖς αὐτοῖς σώματα ἀπώλεσεν αὐτῷ habet, secundum quae olim fuisse lectum puto: — φθονῶν δὲ σώματ' ὤλεσεν θεός. De Aorist. in vaticiniis v Boeckh. N. Cr. Pind. P. IV. v. 56. Dissentit autem Schol. *A'.*: αὐτοῖς σώμασι τιμωρηθήσονται θεῶν νεμεσησάντων αὐτοῖς, ubi pluralis Num. reperitur, et haec lectio ostendi videtur: φθόνον δὲ σώματ' ἀνθέξει θεῶν h. e. corpora sustinebunt deorum invidiam s. experientur fati vim: nam φθόνος θεῶν de fato dici solere in vulgus notum est. Hoc similive modo prius scriptum fuisse eo magis mihi est persuasum, quod inde nuda vox δαμέντων faciliorem explicatum habet, cum constructio σώματα δαμέντων (αὐτῶν) fere non interrumpatur interjectis verbis πελασγία δὲ δέξεται.

Qua ratione metro succurrendum esset in carmine, quod sequitur, 886 sq., alii vidisse putantur. Ibi enim verbis antistrophicis Μήποτε, μήποτ' ὦ Μοῖραι, procul dubio genuinis non respondent strophica ἦ σοφὸς, ἦ σοφὸς ἦν, ὃς πρῶτος ἐν γνώμᾳ. Quamobrem jam Triclinius verba ἐν γνώμᾳ ejecit tanquam superflua; ejectisque iis cum voce ἦν omnia sibi optime respondent. At necessaria hic illa censeo, si non propter

ἐβάστασε, at propter iis contraria καὶ γλώσσᾳ. Igitur majorem mihi fidem facit Scholiastes, qui altero ἦ σοφὸς omisso etiam voce πρῶτος caret, quae ut omittatur, Eustathii quoque locus a Blomfieldio ad h. l allegatus, svadet. Alterum ἦ σοφὸς, quod quidem duplicato in antistr., μήποτε servari posset, etiam Nicephoras Gregoras omittit, bis (Hist. Byz. p. 235. et 647.) locum hunc excitans; is vero habet πρῶτος, ex quo ita sibi responderent versus:

ἦ σοφὸς ἦν, ὃς πρῶτος ἐν γνώμᾳ —
μήποτε μήποτε, μήποτ' ὦ Μοῖραι —

Quod cum improbes, si per numeros licet, sic potius versus constitue, Scholiis svadentibus:

ἦ σοφὸς ἦν, ὃς ἐν γνώμᾳ —
μήποτε, μήποτ' ὦ Μοῖραι —

Tum difficillime vera scriptura v. 899. ex Scholiis et Aldina eruitur; tamen, quid valeant humeri, tentabo. Primum cum Scholiastae ita locum interpretentur: φοβοῦμαι τὴν ἄστεργ. παρθενίαν τῆς Ἰοῦς, εἰσορῶσα αὐτὴν δαπτ., his additis: ἡ πρὸς μὲν ταρβῶ ὑποστικτέον, παρὰ δὲ τὸ ὁρῶσα συναπτέον τὸ ἄστεργ. παρθενίαν: vocem Ἰοῦς aut alio loco, quam quo nunc in MS. est, collocatum, aut omnino non legisse videntur, qua facile utique caremus. Deinde Aldina haec habet: μεγαμῷ δὲ ἀπτομένην. Vox γαμῷ Codicum, Editionum princ. et Scholiorum firmatur consensu. Quid vero littera Δ. sibi vult ante ἀπτομένην? inde enim δαπτομένην ortum est. Consultis Scholiis, Δ. est Διός ex more non

plane exaratum, ut haec existant: *γαμῷ Διὸς ἁπτομένην.* quibus perfecte respondent: *γένει* (quod cum *γέννᾳ* in Schol. F. et MS. invenitur) *μεγαλυνομένων.* Sed quorsum illud *με* ante *γαμῷ* in Aldina? Non divinarem, nisi Scholia haberent: *ἐν γαμῷ Διός.* Jam in antistr. quoque inter *τῶν γένει* est *ἐν* inserendum, quod quam facile omissum et additum sit, statim v. 897. ex *ἐν γαμέτᾳ* cognoscimus. Conjecturae veritatem, si verba majusculis litteris expressa cogitaveris, magis intelliges; sin autem numeri displicent in his:

μήτε τῶν ἐν γένει μεγαλυνομένων —
antistr. *εἰςορῶσ' ἐν γαμῷ Διὸς ἁπτομένην* —: aut
μήτε τῶν γενεᾷ μ. = *εἰςορῶσα γαμῷ Δ.*, aut

faciliorem conjecturam *γαμοδαπτομέναν* recipias, quod verbum propter compositionis audaciam poeta non indignum videatur. Simile *θεοβλαβέω* in Pers. 828. urget Blomfieldius; cum *δάπτω* compositum est adjectivum quoque *πυρίδαπτος* Eumenid. 1038. Licet commemorare ex Prometh. *τροχοδινέω* et *στροφοδινέω* 882, cll. Agam. 51., *χαριττογλωσσέω* 294, *μυδροκτυπέω* 366., aliaque, quae Aristophanes cum aliis antiquitatis scriptoribus notarunt. Confer. etiam Seidler. Dochm. p. 188.

Fortasse minus difficile est, loci a Viris D. varie tentati v. 1057. difficultates tollere. Vulgatam lectionem *εἰ δ' εὐτυχῇ* et metrum et sensus et plurimi ea plane discrepantes Codices respuunt. Mediceum, vetustate sua longe spectatissimum, qui *εἰ τοῦδ' εὐτυχῇ* habet, proxime accedens, omissa tantummodo littera *υ*, scribendum existimo: *εἴη τοῦδε τυχῇ.* Namque horribi-

lia omnia per Mercurium minato Jovi Prometheus responderat, minas se, semper quippe immortalitate gavisurum, spernere (πάντως ἐμέ γ᾽ οὐ θανατώσει cf. 753. 933.). „Promethei verba, inquit Mercurius, nonne sunt insaniae? abs qua etiamsi τὸ οὐ θανατοῦσθαι ipsi contingat, quid remittit?" Et jure suo hac re Prometheus ferociebat haud ignorans, a fato, cui ipse Jupiter pareret, constitutum esse hoc, ut esset immortalis, et, Chirone mortalitatem precibus nacto (id quod Mercurius ipse indicaverat 1026 sq.), vinculis liberatus foret.

Hoc modo versatus in locis difficilioribus interpretandis et corrigendis, quod omnes aliorum conjecturas non enumeraverim, nemo, spero, succensebit. Inprimis eas silentio praetermisi, quae ex metricarum rationum nondum perfecta provenerunt cognitione. Qua quamvis et meam tractationem laborare non infitias eam, tamen persuasum habeo, Aeschylum multam in eo posuisse diligentiam, ut convenientia sententiis metra et numeros diligeret: in qua re conspirat cum Pindaro: v. Boeckh. Metr. Pind. III. XIX. De Typhpoeo enim Pindari et Aeschyli verba et metrum fere eadem sunt: v. Pyth. I, 15 sq. Prom. 351 sq. Ejus artificii exempla esse alia videntur: Prom. 649. (ἀφνίδιος μόρος) 727. (κενοφρόνων βουλευμάτων) 867. (ἀπόλεμος ὅδε γ᾽ ὁ πόλεμος) 354. (πᾶσιν ὃς ἀντ.) 265. (πράσσοντας ἐγὼ) 213. (ὑπερέχοντας).

Conjecturas certa ut confirmarem auctoritate seu Scholiorum seu aliorum scriptorum, operam dedi: et alia quidem repetens ex Scholiis Hermannum secutus sum, pari jure Ἥρας inde restituentem, alia iis reddens

Stephanum v. 562. ὀρείοις eo relegantem. In textum vero praeter Codicum fidem, dubiam licet et incertam, nec in Prom. summopere ponderandam, ea tantum aliunde recepi, quae probabilia sunt et verisimillima, ceteris, quae aliquem usum habeant, maxime vero, quae ex grammaticis rationibus graviores visae sint, lectionibus aut etiam conjecturis infra annotatis.

ΑΙΣΧΥΛΟΥ

ΠΡΟΜΗΘΕΥΣ ΔΕΣΜΩΤΗΣ.

AESCHYLI

PROMETHEUS VINCTUS

CUM

LECTIONIS VARIETATE ET SCHOLIIS INTEGRIS.

ΥΠΟΘΕΣΙΣ

ΤΗΣ ΤΟΥ

ΑΙΣΧΥΛΟΥ ΤΡΑΓΩΔΙΑΣ

ΠΡΟΜΗΘΕΩΣ ΔΕΣΜΩΤΟΥ.

Προμηθέως ἐν Σκυθίᾳ δεδεμένου διὰ τὸ κεκλοφέναι τὸ πῦρ, πυνθάνεται Ἰὼ πλανωμένη, ὅτι κατ' Αἴγυπτον γενομένη, ἐκ τῆς ἐπαφήσεως τοῦ Διὸς τέξεται τὸν Ἔπαφον. Ἑρμῆς δὲ παράγεται ἀπειλῶν αὐτῷ κεραυνωθήσεσθαι, ἐὰν μὴ εἴπῃ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι τῷ Διΐ. προέλεγε γὰρ ὁ Προμηθεύς, ὡς ἐξωσθήσεται ὁ Ζεὺς τῆς ἀρχῆς ὑπό τινος οἰκείου υἱοῦ. τέλος δὲ, βροντῆς γενομένης, ἀφανὴς ὁ Προμηθεὺς γίνεται.

Κεῖται δὲ ἡ μυθοποιΐα ἐν παρεκβάσει παρὰ Σοφοκλεῖ [ἐν] Κόλχοις, παρὰ δὲ Εὐριπίδῃ ὅλως οὐ κεῖται. ἡ μὲν σκηνὴ τοῦ δράματος ὑπόκειται ἐν Σκυθίᾳ ἐπὶ τὸ Καυκάσιον [ὄρος]· ὁ δὲ χορὸς συνέστηκεν ἐξ Ὠκεανίδων νυμφῶν. τὸ δὲ κεφάλαιον αὐτοῦ ἐστι Προμηθέως δέσις.

ΑΛΛΩΣ.

Προμηθέως ἐκ Διὸς κεκλοφότος τὸ πῦρ καὶ δεδωκότος ἀνθρώποις, δι' οὗ τέχνας πάσας ἄνθρωποι εὕροντο, ὀργισθεὶς ὁ Ζεὺς, παραδίδωσιν αὐτὸν Κράτει καὶ Βίᾳ, τοῖς αὐτοῦ ὑπηρέταις, καὶ Ἡφαίστῳ, ὡς ἂν [1] ἀγαγόντες πρὸς τὸ Καυκάσιον ὄρος, δεσμοῖς σιδηροῖς αὐτὸν ἐκεῖ προςηλώσαιεν. Οὗ γενομένου, παραγίνονται [2] πᾶσαι αἱ Ὠκεαναῖαι [3] νύμφαι πρὸς παραμυθίαν αὐτοῦ, καὶ αὐτὸς ὁ Ὠκεανὸς, ὃς δὴ καὶ λέγει τῷ Προμηθεῖ, ἵνα ἀπελθὼν πρὸς τὸν Δία δεήσεσι καὶ λιταῖς πείσῃ αὐτὸν ἐκλῦσαι τοῦ δεσμοῦ Προμηθέα. καὶ Προμηθεὺς οὐκ ἐᾷ, τὸ τοῦ Διὸς εἰδὼς ἄκαμπτον καὶ θρασύ. καὶ ἀναχωρήσαντος τοῦ Ὠκεανοῦ, παραγίνεται Ἰὼ πλανωμένη, ἡ τοῦ Ἰνάχου, καὶ μανθάνει παρ' αὐτοῦ, ἅ τε πέπονθε καὶ ἃ πείσεται, καὶ ὅτι τὶς τῶν αὐτῆς ἀπογόνων λύσει αὐτὸν, ὃς ἦν ὁ Διὸς Ἡρακλῆς, καὶ ὅτι ἐκ τῆς ἐπαφήσεως τοῦ Διός τέξει τὸν Ἔπαφον. Θρασυστομοῦντι δὲ Προμηθεῖ κατὰ Διὸς, ὡς ἐκπεσεῖται τῆς ἀρχῆς ὑφ' οὗ τέξεται παιδὸς, καὶ ἄλλα βλάσφημα λέγοντι, παραγίνεται Ἑρμῆς Διὸς πέμψαντος, ἀπειλῶν αὐτῷ κεραυνὸν, εἰ μὴ

1) ἀναγαγόντες
2) παρεγίνονται — παρεγίνοντο
3) Ὠκεανῆαι

τὰ μέλλοντα συμβήσεσθαι τῷ Διῒ εἴπῃ· καὶ μὴ βουλόμενον βροντὴ καταῤῥαγεῖσα αὐτὸν ἀφανίζει.

Ἡ μὲν σκηνὴ τοῦ δράματος ὑπόκειται ἐν Σκυθίᾳ ἐπὶ τὸ Καυκάσιον ὄρος· ἡ δὲ ἐπιγραφὴ τούτου, ΠΡΟΜΗΘΕΥΣ ΔΕΣΜΩΤΗΣ.

ΤΑ ΤΟΥ ΔΡΑΜΑΤΟΣ ΠΡΟΣΩΠΑ.

ΚΡΑΤΟΣ ΚΑΙ ΒΙΑ.
ΗΦΑΙΣΤΟΣ.
ΠΡΟΜΗΘΕΥΣ.
ΧΟΡΟΣ ΩΚΕΑΝΙΔΩΝ ΝΥΜΦΩΝ.
ΩΚΕΑΝΟΣ.
ΙΩ Η ΙΝΑΧΟΥ.
ΕΡΜΗΣ.

In Ald. Turn. adduntur *ΓΗ* et *ΗΡΑΚΛΗΣ*, in Rob. hic solus, quae perſonae ad Prometheum Solutum pertinebant. cf. Quaest. Aesch. Cap. IX.

ΑΙΣΧΥΛΟΥ
ΠΡΟΜΗΘΕΥΣ ΔΕΣΜΩΤΗΣ.

ΚΡΑΤΟΣ ΚΑΙ ΒΙΑ, ΗΦΑΙΣΤΟΣ, ΠΡΟΜΗΘΕΥΣ.

ΚΡΑΤΟΣ.

Χθονὸς μὲν εἰς τηλουρὸν ἥκομεν πέδον,
Σκύθην ἐς οἶμον, ἄβροτον εἰς ἐρημίαν.
Ἥφαιστε, σοὶ δὲ χρὴ μέλειν ἐπιστολὰς,
Ἅς σοι πατὴρ ἐφεῖτο, τόνδε πρὸς πέτραις
Ὑψηλοκρήμνοις τὸν λεωργὸν ὀχμάσαι,
Ἀδαμαντίνων δεσμῶν ἐν ἀῤῥήκτοις πέδαις.
Τὸ σὸν γὰρ ἄνθος, παντέχνου πυρὸς σέλας,
Θνητοῖσι κλέψας ὤπασεν· τοιᾶσδέ τοι
Ἁμαρτίας σφὲ δεῖ θεοῖς δοῦναι δίκην,
Ὡς ἂν διδαχθῇ τὴν Διὸς τυραννίδα
Στέργειν, φιλανθρώπου δὲ παύεσθαι τρόπου.

ΗΦΑΙΣΤΟΣ.

Κράτος, Βία τε, σφῷν μὲν ἐντολὴ Διὸς
Ἔχει τέλος δὴ, κοὐδὲν ἐμποδὼν ἔτι·
Ἐγὼ δ' ἄτολμός εἰμι συγγενῆ θεὸν
Δῆσαι βίᾳ φάραγγι πρὸς δυςχειμέρῳ.

2. MS. ἄβατον

3. μέλλειν ἐπιτολάς, MS. ἀδαμαντίναις πέδησιν ἐν ἀῤῥήκτοις πέτραις.

Πάντως δ' ἀνάγκη τῶνδέ μοι τόλμαν σχέθειν·
Ἐξωριάζειν γὰρ πατρὸς λόγους βαρύ. —
Τῆς ὀρθοβούλου Θέμιδος αἰπυμῆτα παῖ,
Ἄκοντά σ' ἄκων δυςλύτοις χαλκεύμασι
Προςπασσαλεύσω τῷδ' ἀπανθρώπῳ πάγῳ,
Ἵν' οὔτε φωνὴν, οὔτε του μορφὴν βροτῶν
Ὄψει, σταθευτὸς δ' ἡλίου φοίβῃ φλογὶ,
Χροιᾶς ἀμείψεις ἄνθος· ἀσμένῳ δέ σοι
Ἡ ποικιλείμων νὺξ ἀποκρύψει φάος·
Πάχνην θ' ἑῴαν ἥλιος σκεδᾷ πάλιν·
Ἀεὶ δὲ τοῦ παρόντος ἀχθηδὼν κακοῦ
Τρύσει σ'· ὁ λωφήσων γὰρ οὐ πέφυκέ πω.
Τοιαῦτ' ἀπηύρω τοῦ φιλανθρώπου τρόπου.
Θεὸς θεῶν γὰρ οὐχ ὑποπτήσσων χόλον,
Βροτοῖσι τιμὰς ὤπασας πέρα δίκης.
Ἀνθ' ὧν ἀτερπῆ τήνδε φρουρήσεις πέτραν,
Ὀρθοστάδην, ἄϋπνος, οὐ κάμπτων γόνυ·
Πολλοὺς δ' ὀδυρμοὺς καὶ γόους ἀνωφελεῖς
Φθέγξῃ· Διὸς γὰρ δυςπαραίτητοι φρένες·
Ἅπας δὲ τραχὺς, ὅςτις ἂν νέον κρατῇ.

ΚΡΑΤΟΣ.

Εἶεν· τί μέλλεις καὶ κατοικτίζῃ μάτην;
Τί τὸν θεοῖς ἔχθιστον οὐ στυγεῖς θεὸν,
Ὅςτις τὸ σὸν θνητοῖσι προὔδωκεν γέρας;

---

17. fort. εὐωριάζειν
19. ἄκοντ' ἄκων σε
20. τόπῳ
21. θεῶν
28. ἐπηύρω
34. Διὸς δὲ
35. νέος

ΗΦΑΙΣΤΟΣ.

Τὸ συγγενές τοι δεινὸν, ἥ θ' ὁμιλία.

ΚΡΑΤΟΣ.

Σύμφημ'· ἀνηκουστεῖν δὲ τῶν πατρὸς λόγων
Οἷόν τε πῶς; οὐ τοῦτο δειμαίνεις πλέον;

ΗΦΑΙΣΤΟΣ.

Αἰεί τε δὴ νηλὴς σὺ καὶ θράσους πλέως.

ΚΡΑΤΟΣ.

Ἄκος γὰρ οὐδὲν τόνδε θρηνεῖσθαι· σὺ δὲ
Τὰ μηδὲν ὠφελοῦντα μὴ πόνει μάτην.

ΗΦΑΙΣΤΟΣ.

Ὦ πολλὰ μισηθεῖσα χειρωναξία.

ΚΡΑΤΟΣ.

Τί νιν στυγεῖς; πόνων γὰρ, ὡς ἁπλῷ λόγῳ,
Τῶν νῦν παρόντων οὐδὲν αἰτία τέχνη.

ΗΦΑΙΣΤΟΣ.

Ἔμπας τὶς αὐτὴν ἄλλος ὤφελεν λαχεῖν.

ΚΡΑΤΟΣ.

Ἅπαντ' ἐπράχθη πλὴν θεοῖσι κοιρανεῖν·
Ἐλεύθερος γὰρ οὔτις ἐστὶ πλὴν Διός.

ΗΦΑΙΣΤΟΣ.

Ἔγνωκα, τοῖς δέ τ' οὐδὲν ἀντειπεῖν ἔχω.

ΚΡΑΤΟΣ.

Οὔκουν ἐπείξῃ δεσμὰ τῷδε περιβαλεῖν,
Ὥς μή σ' ἐλιννύοντα προςδέρχθῃ πατήρ;

---

42. τε (δὴ) = τοι = γε
48. ὤφελε λαχεῖν ἄλλος.
49. f. ἐτάχθη = ἐδράχθη
51. Conj. — vulg. τοῖςδε κοὐδὲν
52. τούτῳ = τῷδε δεσμὰ

ΗΦΑΙΣΤΟΣ.

Καὶ δὴ πρόχειρα ψάλια δέρκεσθαι πάρα.

ΚΡΑΤΟΣ.

Λαβών νιν, ἀμφὶ χερσὶν ἐγκρατεῖ σθένει
Ῥαιστῆρι θείνων, πασσάλευε πρὸς πέτραις.

ΗΦΑΙΣΤΟΣ.

Περαίνεται δὴ κοὐ ματᾷ τοὔργον τόδε.

ΚΡΑΤΟΣ.

Ἄρασσε μᾶλλον, σφίγγε, μηδαμῇ χάλα.
Δεινὸς γὰρ εὑρεῖν κἀξ ἀμηχάνων πόρους.

ΗΦΑΙΣΤΟΣ.

Ἄραρεν ἥδέ γ' ὠλένη δυςεκλύτως.

ΚΡΑΤΟΣ.

Καὶ τήνδε νῦν πόρπασον ἀσφαλῶς, ἵνα
Μάθῃ σοφιστὴς ὢν Διὸς νωθέστερος.

ΗΦΑΙΣΤΟΣ.

Πλὴν τοῦδ' ἂν οὐδεὶς ἐνδίκως μέμψαιτό μοι.

ΚΡΑΤΟΣ.

Ἀδαμαντίνου νῦν σφηνὸς αὐθάδη γνάθον
Στέρνων διαμπὰξ πασσάλευ' ἐῤῥωμένως.

ΗΦΑΙΣΤΟΣ.

Αἶ αἶ Προμηθεῦ, σῶν ὑπερστένω πόνων.

ΚΡΑΤΟΣ.

Σὺ δ' αὖ κατοκνεῖς, τῶν Διός τ' ἐχθρῶν ὕπερ
Στένεις; ὅπως μὴ σαυτὸν οἰκτιεῖς ποτέ.

---

54. ψάλλια

56. θεῖναι — vulg. θείνε

59. MS. πόρον = τρόπον.

64. νιν — αὐθάδει γνάθῳ Στέρνον

67. σὺ δ' οὖν

ΗΦΑΙΣΤΟΣ.

Ὁρᾷς θέαμα δυςθέατον ὄμμασιν;

ΚΡΑΤΟΣ.

Ὁρῶ κυροῦντα τόνδε τῶν ἐπαξίων.
Ἀλλ᾽ ἀμφὶ πλευροῖς μασχαλιστῆρας βάλε.

ΗΦΑΙΣΤΟΣ.

Δρᾶν ταῦτ᾽ ἀνάγκη, μηδὲν ἐγκέλευ᾽ ἄγαν.

ΚΡΑΤΟΣ.

Ἦ μὴν κελεύσω, κἀπιθωΰξω γε πρός.
Χώρει κάτω, σκέλη δὲ κίρκωσον βίᾳ.

ΗΦΑΙΣΤΟΣ.

Καὶ δὴ πέπρακται τοὖργον οὐ μακρῷ πόνῳ.

ΚΡΑΤΟΣ.

Ἐῤῥωμένως νῦν θεῖνε διατόρους πέδας,
Ὡς οὑπιτιμητής γε τῶν ἔργων βαρύς.

ΗΦΑΙΣΤΟΣ.

Ὅμοια μορφῇ γλῶσσά σου γηρύεται.

ΚΡΑΤΟΣ.

Σὺ μαλθακίζου, τὴν δ᾽ ἐμὴν αὐθαδίαν
Ὀργῆς τε τραχύτητα μὴ ᾽πίπλησσέ μοι.

ΗΦΑΙΣΤΟΣ.

Στείχωμεν, ὡς κώλοισιν ἀμφίβληστρ᾽ ἔχει.

ΚΡΑΤΟΣ.

Ἐνταῦθα νῦν ὕβριζε, καὶ θεῶν γέρα

---

69. ν. ὄμμασιν.
73. μὲν — σε = δὲ πρός.
74. κρίκωσον
75. χρόνῳ.
76. πόδας,
80. θρασύτητα

Συλῶν, ἐφημέροισι προστίθει. τί σοι
Οἷοί τε θνητοὶ τῶνδ᾽ ἀπαντλῆσαι πόνων;
Ψευδωνύμως σε δαίμονες Προμηθέα
Καλοῦσιν· αὐτὸν γάρ σε δεῖ προμηθέως,
Ὅτῳ τρόπῳ τῆσδ᾽ ἐκκυλισθήσῃ τέχνης.

ΠΡΟΜΗΘΕΥΣ.

Ὦ δῖος αἰθὴρ καὶ ταχύπτεροι πνοαί,
Ποταμῶν τε πηγαί, ποντίων τε κυμάτων
Ἀνήριθμον γέλασμα, παμμῆτόρ τε γῆ,
Καὶ τὸν πανόπτην κύκλον ἡλίου καλῶ.
Ἴδεσθέ μ᾽, οἷα πρὸς θεῶν πάσχω θεός.
Δέρχθηθ᾽, οἵαις αἰκίαισιν
Διακναιόμενος τὸν μυριετῆ
Χρόνον ἀθλεύσω. τοιόνδ᾽ ὁ νέος
Ταγὸς μακάρων ἐξεῦρ᾽ ἐπ᾽ ἐμοὶ
Δεσμὸν ἀεικῆ.
Φεῦ, φεῦ· τὸ παρὸν τό τ᾽ ἐπερχόμενον
Πῆμα στενάχω. πῆ ποτε μόχθων
Χρὴ τέρματα τῶνδ᾽ ἐπιτεῖλαι. —
Καίτοι τί φημι; πάντα προὐξεπίσταμαι
Σκεθρῶς τὰ μέλλοντ᾽, οὐδέ μοι ποταίνιον
Πῆμ᾽ οὐδὲν ἥξει. τὴν πεπρωμένην δὲ χρὴ
Αἶσαν φέρειν ὡς ῥᾷστα, γιγνώσκονθ᾽ ὅτι
Τὸ τῆς ἀνάγκης ἔστ᾽ ἀδήριτον σθένος.
Ἀλλ᾽ οὔτε σιγᾶν, οὔτε μὴ σιγᾶν τύχας

84. ἀπαλλάξαι.
87. τύχης.
88. διὸς
93. ἀνίαισι
98. αἶ, αἶ
100. τέρμα f. τέρμά τι
102. Τορῶς

Οἶόντε μοι τάςδ᾽ ἐστί. Θνητοῖς γὰρ γέρα
Πορὼν ἀνάγκαις ταῖςδ᾽ ἐνέζευγμαι τάλας.
Ναρθηκοπλήρωτον δὲ θηρῶμαι πυρὸς
Πηγὴν κλοπαίαν, ἣ διδάσκαλος τέχνης
Πάσης βροτοῖς πέφηνε, καὶ μέγας πόρος.
Τοιάςδε ποινὰς ἀμπλακημάτων τίνω,
Ὑπαίθριος δεσμοῖσι πασσαλευτὸς ὤν. —

Ἆ ἆ, ἔα ἔα.
Τίς ἀχὼ, τίς ὀδμὰ προςέπτα μ᾽ ἀφεγγής,
